VRBANAE DISPVTATIONES IN LIB. QVART. METEOR. ET SECVNDVM ARISTOTELIS DE ANIMA

IOANNIS MANELPHI ERETANI SABINI

ROMAE
Superiorum permissu
M.DC.XLI.

EMINENTISSIMO
PRINCIPI
CARDINALI
BARBERINO.

IOANNES MANELPHVS
Eretanus Sabinus. Fel.

BION Boryſthenites Philoſophus ſapientiſsimus, Rhodi cum Athenienſes darent operam rhetoricis, ipſe Philoſophiam docebat. ob id reprehenſus, ità reſpondit, triticum aduexi, & hordeum vendo. ſentiens abſurdum eſſe ab ipſo requiri

deteriora ; cum attuliſſet meliora : nam philoſophia veluti triticum cibus eſt hominum , hordeum equorum . ſimul innuens ſolum philoſophum loqui , rhetores hinnire potius . Hæc mihi magni viri verba perſuaſere , vt haſce alias Vrbanas diſputationes in 4. Meteorolog. & 2. de Anima Ariſtotelis philoſophorum Principis Tuo etiam nomini conſecrare auderem , gnarus à te res non verba æſtimari ; & quamuis Eminentiæ Tuæ impar opus videretur , tamen quia de rebus philoſophicis ſermo eſt , & philoſophia quoddam Principum triticum eſt , credidi fore vt tibi non diſpliceat hoc argumentum meę erga Eminentiam Tuam voluntatis . ſcio magnorum

Prin.

Principum hunc morem fuisse; vt philosophiæ studia pro delicijs haberent;& meritò,nulla quippè siuè ars, siuè disciplina homines suprà mortalium vulgus attollit quam philosophia: cœteræ enim artes si Bioni credimus, hordeum quoddam sunt; hoc est vulgare ingeniorum alimentum. Philosophia ijs tantum conuenit,qui reliquis eminent,vt inter cœteros nostri Seculi Heroas primum locum Tu tenes Eminentissime Domine. Vale.

IO. ANDREAE MANELPHI
AVCTORIS FILII.

DVm nobis Aether cælestia dona laborat,
Et Barberino sidera melle fluunt.
Mellea debuimus nos reddere munera Cælo,
Et dare sidereæ pignora grata domus.
Hic quid agat Cælum, quæ sint commercia rerum
Discitur, & quæ sint candida dona soli.
Hic elementorum artes, & fædera mundi,
Et quæ corporibus iura benigna, patent.
Vos quibus est hominis concredita cura tuendi,
Has haurite artes, discite mellis opes.
Mellea Naturæ hoc sæclo sunt munera, & orbis
Sub Barberino Principe mella parit.

AMI-

AMICO LECTORI.

Triticum tibi affero ex agro Peripatetico collectum. æqui boniq; consule si rude nec bene expolitum illud fortaße videatur: vt verborum apparatu leporeq.exornarem,nec tempus nec negotiorum ingens multitudo permisit. Scripsi more philosophorum,quorum est captare beneuolentiam Lectorũ non verborum phaleris,sed grauitate, ac sapientia dicendi,vtilia necne protulerim,tu iudex esto; Ego in hanc curam incubui vt prodessem. Non verba,sed res prosunt. Dictum Zenonis Cittiei fuit,eleganter & politè loquentium sermones esse similes pecuniæ Alexandrinæ, oculis blandienti atque vndique scripturam habenti more numismatis, nihilo tamen esse meliorem; Rursus qui magis studerent vtilia dicere quam nitida,similes esse dicebat tetradrachmis, temere ac ruditer percussis, quæ sæpe picturatis illis nummis præponderarent, nempe in nummo non spectatur elegantia sculpturæ, sed pondus, ac materia, ita etiam non refert quam sit elegans oratio, sed quam grauis, & vtilis. Vale.

Impri-

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apost.

I.B.Episc.Camer.Vicesger.

VRbanas Disputationes in librum 4. Meteorol. & 2. Aristotelis de Anima, Ioanne Manelpho doctissimo, ac humanissimo viro Auctore, iussu Reuerendiss. P. Mag. S. Palatij qua potui diligentia summo cum delectu conspexi: easque, cum nec bonis moribus nec sapientiorum Philosophorum opinionibus aduersentur, vt in publicam lucem edantur dignissimas censeo.

Fr. Antoninus Cellius Ord. Prad. ac in Almo Vrbis Gymnasio Primarius S. Theologiæ Professor.

Imprimatur,

Fr. Io. Vincentius Morenus de Mutina Magister, & Socius Reuerendiss. P. Fr. Vincentij de Florentiola Ord. Præd. Sacri Pal. Apost. Mag.

VRBANÆ DISPVTATIONES IN IV. METHEOROLOG. ARISTOTELIS.

IOANNIS MANELPHI
Eretani Sabini.

DISPVTATIO I.

PHYLOSOPHIA, quam rerum humanarum, diuinarumq. ſcientiam Tullius aſſeruit, ſecũdum omnes Philoſophos, in duas partes diuiditur, nempè in actiuam, atque contemplatiuam. Rurſus contemplatiua, vel eſt Mathematica, vel Phyſica, vel Methaphyſica. Et inſuper Phyſica, hoc eſt ſcientia de rebus naturalibus, vt naturalia ſunt, non eſt vnius etiam partis, ſed quemadmodum res naturales plurium, diuerſarumque ſpecierum ſunt, ita etiam plures partes in ſe comprehendit: Vnde Ariſtoteles in ſuis de ſcientia naturali editis libris, Primo egit de principijs, & cauſis. Secundo,

de Cœlo,& elementis. Tertiò, de generatione & corruptione. Quartò, de animabus, & de formis, tùm corruptibilibus, tùm etiam incorruptibilibus. Quintò, de rebus metheorologicis. Sextò de animalibus, & similibus alijs. Scientia quidem de principijs iucunda, & vtilis est: Vnde Poeta.

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas.

Atque Hippocrates in ordine ad morbos libello de arte, ille inquit erit sufficiens ad curandum, qui etiam sufficiens erit ad cognoscendum: Eum enim recte puto curaturum inquit etiã Celsus latinus Hippocrates, quem prima causæ origo non fefellerit. Cœlum & elementa contemplari, fœlix, & iucunda etiam res est: Vnde Ouidius in Fastis.

Fœlices animæ, quibus hæc cognoscere primis,
Inq. domos superas scandere cura fuit.

Atque Hipp. in lib.de aere, aquis, & locis. Porrò inquit obseruandi sunt astrorum exortus, præcipuè canis, deinde arcturi,& pleiadũ occasus. maximèque obseruare oportet magnas temporum mutationes, vt neque medicinas in illis libenter exhibeamus, neque vramus quæ circà ventrem, neque secemus priusquam prætereant dies decem, aut plures, & non pauciores. Periculosissima sunt

etiam

etiam ambo solstitia, maximè vero æstiuum, periculosum etiam æquinoctiũ vtrumque, magis vero autumnale, morbi enim in his maxime diebus iudicantur, alijque perimũt, alij vero desinunt, aut in aliam speciem, aliũq. statum transmutantur. Animarum ideas insuper potentias, & operationes cognoscere, bonum est, atque honorabilium inquit Arist. in principio libri de anima. Et denique animalium, mixtorumque omnium naturas, atque proprietates cognoscere & scire perfectio maxima est. Sed inter cœtera de metheoris scientia quoad nos est etiam vtilissima, pernecessaria, atque præsertim pars illa, quæ de mixtis, aut mixtorum passionibus agit; quam partem Arist. in 4. Metheor. examinat περὶ τῶν μικτῶν græcè inscripto: Agit enim Arist. in dicto 4. Metheor. de generatione, & corruptione mixtorum, non autem de generatione, & corruptione vniuersali. Vnde putrefactio, concoctio πέπανσις grecè dicta, digestio, cruditas, vel similia alia ex Arist. in eodem libro expenduntur, quorum sanè omnium scientia pernecessaria est vt dicebamus, cum Medicinæ inseruiat, & veluti pars Medicinæ à nonnullis habeatur.

(Quoniam autem quatuor determinatæ sũt

de Cœlo,& elementis. Tertiò, de generatione & corruptione. Quartò, de animabus, & de formis, tùm corruptibilibus, tùm etiam incorruptibilibus. Quintò,de rebus metheorologicis. Sextò de animalibus, & similibus alijs. Scientia quidem de principijs iucunda, & vtilis est: Vnde Poeta.

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas.

Atque Hippocrates in ordine ad morbos libello de arte, ille inquit erit sufficiens ad curandum, qui etiam sufficiens erit ad cognoscendum: Eum enim recte puto curaturum inquit etiã Celsus latinus Hippocrates,quem prima causæ origo non fefellerit. Cœlum & elementa contemplari, fœlix, & iucunda etiam res est: Vnde Ouidius in Fastis.

Fœlices animæ, quibus hæc cognoscere primis
Inq. domos superas scandere cura fuit.

Atque Hipp. in lib.de aere, aquis, & locis. Porrò inquit obseruandi sunt astrorum exortus,præcipuè canis,deinde arcturi,& pleiadũ occasus, maximèque obseruare oportet magnas temporum mutationes, vt neque medicinas in illis libenter exhibeamus, neque vramus quæ circà ventrem, neque secemus priusquam prætereant dies decem, aut plures, & non pauciores. Periculosissima sunt

etiam

etiam ambo solstitia, maximè vero æstiuum, periculosum etiam æquinoctiũ vtrumque, magis vero autumnale, morbi enim in his maxime diebus iudicantur, alijque perimũt, alij vero desinunt, aut in aliam speciem, aliũq; statum transmutantur. Animarum ideas insuper potentias, & operationes cognoscere, bonum est, atque honorabilium inquit Arist. in principio libri de anima. Et denique animalium, mixtorumque omnium naturas, atque proprietates cognoscere & scire perfectio maxima est. Sed inter cœtera de metheoris scientia quoad nos est etiam vtilissima, pernecessaria, atque præsertim pars illa, quæ de mixtis, aut mixtorum passionibus agit; quam partem Arist. in 4. Metheor. examinat περὶ τῶν μικτῶν græcè inscripto: Agit enim Arist. in dicto 4. Metheor. de generatione, & corruptione mixtorum, non autem de generatione, & corruptione vniuersali. Vnde putrefactio, concoctio πέπανσις grecè dicta, digestio, cruditas, vel similia alia ex Arist. in eodem libro expenduntur, quorum sanè omnium scientia pernecessaria est vt dicebamus, cum Medicinæ inseruiat, & veluti pars Medicinæ à nonnullis habeatur.

(Quoniam autem quatuor determinatæ sũt

causæ elementorum, harum autem secundũ coniugationes, & elementa quatuor accidit esse. quarum duæ quidem actiuæ caliditas, & frigiditas, duæ autem passiuæ, siccitas, & humiditas fides autem horum ex inductione) & quæ sequuntur. Hæc sunt quæ Arist. in primo cap.4. metheorologicorũ habet. Quatuor inquiens primæ qualitates sunt, nempe calor, frigus, siccitas, humiditas, & eædem determinatæ causæ elementorum quoque sũt. Verum quomodo qualitates dictæ elementorum causæ dici possint, quæret aliquis? cũ elementa substantiæ sint, qualitates autem accidentia, atque accidentia ignobilius quid substantijs sint, nemo autem dat quod non habet ex communi axiomate. Præterea elementum est illud, ex quo aliquid primo fit cum insit per Arist. in 5. meth. tex. 4. vnde etiam elementa στοιχεῖα grecè dicuntur; quare cùm elementa principia rerum sint ex alijs causari non possunt. An igitur hic malè loquatur Arist.?

Nequaquam respondetur, quia, vt inquit Alexander, qualitates causas elementorum appellauit Arist., non quidem eadem elementa accipiendo vt substantiæ sunt, sed quatenus tangibilia sunt, tanguntur enim ele-

men-

menta, vel tactu percipiuntur dictis qualitatibus mediantibus, calido, frigido, humido, sicco; Calidum nempe, humidum, frigidum, & siccum tangibilia sunt, dicet inferius Arist. Vel, & fortasse melius, causæ elementorum qualitates sunt in ordine ad actiones naturales, nam & ijsdem qualitatibus mediantibus elementa agunt, atque generatio mixtorum, siue corruptio celebrantur.

Alia verba Arist. in contex. erant (Illarum qualitatum duæ quidem factiuæ sunt, calidum, & frigidum, duæ vero passiuæ, siccum, & humidum) In primo autem, & 2. de ortu, & interitu Arist. Contrarium in suum contrarium agere docet. sed sic est, quod recensitæ qualitates siccitas, & humiditas inter se maximè contrariæ sunt, ergo etiam ad inuicem in se se agant necesse est, & per consequens passiuæ qualitates male dicuntur.

Trincauelius in primum Gal. de diff. febriũ cap. 7. Marsilius, atque nonnulli alij, propterea affirmant has qualitates, siccitatem nempe, & humiditatem passiuas appellari, quoniam in ordine ad generationem, & corruptionem mixti minus actiuæ sunt, quam calor, & frigus: nimirum calor, & frigus agendo solum ad mixtionem concurrunt, siccitas

vero, & humiditas patiendo, cum etiam res omnes, ſiccitate, atque humiditate mediantibus paſſionem conſequantur; Vnde alibi Ariſtoteles ſiccitas, inquit, eſt illa, quæ difficilè terminatur termino alieno, proprio autem facilè, humiditas verò è contra, facile terminatur alieno termino, proprio autem difficile; Ecce igitur vt paſſiuæ qualitates ſiccitas,& humiditas ex Ariſt. definiuntur, quia ſcilicet cauſæ paſſionum quoque ſunt in ijſdem mixtis vel mixtorum generatione. Vnde idem Ariſt.in ſequentibus.

(Fides autem horum inquit ex inductione eſt: videntur enim in omnibus caliditas quidem,& frigiditas terminantes,& copulantes,& permutantes, & homogenea, & non homogenea, & humectantes, & exiccantes, & indurantes, & emollientes) Probat nimirum Ariſt. calorem,& frigus eſſe actiuas qualitates, humidum verò, atque ſiccum paſſiuas experientia, quia ſcilicet calor, & frigus terminantes qualitates ſunt, ſiccitas verò,& humiditas terminantur.

(Adhuc autem ex rationibus palam eſt, quibus definimus naturas ipſorum, calidum enim, & frigidum vt actiua dicimus, concretiuum enim ſicut actiuum aliquid eſt: Humidum

midum autem, & siccũ passiua) Nempè probauit Arist. in præcedentibus experientia, quod calor, & frigus actiuæ qualitates sunt, humiditas verò, & siccitas passiuæ: nunc verò hanc eandem conclusionem probare conatur ex ratione desumpta à definitionibus siue ipso quid rei dictarum qualitatum: quia nimirum calor, & frigus terminantes qualitates sunt; siccitas vero, & humiditas terminantur: nam vt paulo supra etiam dicebamus, siccitas illa est quæ facilè terminatur termino proprio, difficilè autem alieno: humiditas verò è contrà proprio termino difficile, alieno verò facilè terminatur. Et sic calor, & frigus actiuè, siccitas verò, & humiditas passiuæ qualitates ex Arist. in contextu optimè asserebantur.

DISPVTATIO II.

DEterminatis autem his sumendum vtique erit operationes ipsorum, quibus operantur actiua, & passiuorum species. Primo igitur vniuersaliter, simplex generatio, & naturalis transmutatio harum virtutum est opus, & opposita corruptio secundum naturam. Hæ igitur plantis insunt, & animalibus,

& partibus ipsorum.) Hęc habet Arist. cap. 2. eiusdem lib. 4. metheorol. Posito nimirum ex Arist. in præcedentibus quod qualitates, cum quibus elementa suas explent actiones quatuor sint, atque non amplius; quod ex ijsdem duæ sunt actiuæ, & duæ passiuæ, vt audiuistis, nunc in præsenti tex. ostendere incipit operationes ex dictis quatuor qualitatibus prodeũtes, & quas operationes exercent actiuæ, quasuè passiuæ: Atque vniuersaliter simplex generatio inquit, siuè naturalis mutatio, harum virtutum est opus, & opposita corruptio secundum naturam. Circa quæ verba aliqualis statim difficultas exurgit. Nam duplex est generatio, mutatio scilicet à non esse ad esse, sicuti ex Arist. 5. phys. definitur, & præterea ab esse ignobiliori ad esse nobilius. de qua igitur generatione intelligit Arist. in hoc cap. 2. metheorolog.? Et breuiter respondetur, de generatione secundo modo sumpta Arist. sermonem hic esse, de generatione scilicet illa, qua mediante ex elementis mixta generantur, atque constituuntur.

Simplex igitur generatio, atque naturalis mutatio harum virtutum est opus, erant verba Arist. in context. super quæ verba dubitant

tant plurimi, quid nam Arist. per simplicem generationem intelligat? Nimirum S. Thomas in comm. atque Suessanus ibidem, simplicem generationem asseruerunt dixisse Arist. ad distinctionem accidentium, nempe quod simplex generatio mixti generatio intelligatur ab accidentibus segregata. Vicomercatus autem in eiusdem tex. commentario verba hæc simplicem generationem, simplicem ortum interpretatus est, hoc est ortũ illum, qui ex simplicibus corporibus resultat, cuiusmodi mixta sunt ex elementis conflata, ortus enim simplex, siue ex simplicibus corporibus generatio est, quam plantæ habent, animalia, ipsorumque partes, vt Arist. deinde subiungit.

Secundo, & naturalis mutatio erant alia verba Arist. Dubitabis an hæc verba idem significent, atque superiora? nempe quod Arist. per naturalem mutationem idem intelligat, atque per simplicem generationem? Sanctus Thomas copulatiuè hæc duo legenda esse docet, idemque significare in cõmentario declarauit. Et profectò omnis generatio simplex est mutatio naturalis, non tamen è contra omnis mutatio naturalis simplex generatio est, siquidem accidentium mutatio natura-

naturalis mutatio eſt, nempe caloris ad frigus, humidi ad ſiccum, aut queuis alia ſimilis mutatio naturalis mutatio eſt, quatenus verbum hoc naturale ab arteficiali contradiſtinguitur: Non tamen accidentium mutatio generatio appellari valet, quia generatio propriè ſubſtantiæ eſt, mutatio verò etiam de accidentibus dicitur, quinimo & de his magis etiam propriè; Quare diſiunctiuè verba hæc legenda ſunt, ſimplex generatio, & naturalis mutatio harum virtutum eſt opus.

Sed generatio, mutatio ſubſtantialis eſt, dicet aliquis, ergo ex accidentibus nequaquam fieri poteſt.

Reſpondetur, quod generatio ex accidentibus ſiue quatuor primis appellatis qualitatibus fit non tanquam à cauſa principali, ſed inſtrumentali, nempe qualitates cauſæ generationis ſunt inſtrumentales, haud verò principales.

(Et oppoſita corruptio ſecundum naturam) ſunt alia verba Ariſt. in contex. nempe docet Ariſt. quod non ſolum generatio ſimplex, ſed oppoſita etiam corruptio naturalis dictarum qualitatum ſit opus: oppoſita autem corruptio ſecundum naturam, inquit, ad diſtinctionem violentæ, quæ gladio perfici

ſolet,

solet, exempli gratia, aut ex morbo, aut ex similibus alijs.

Verum dicet aliquis generatio, & corruptio inter se maximè contrariantur, qua igitur ratione ex ijsdem qualitatibus fieri possunt? Frigus insuper destructiua qualitas est, non potest ergo causa generationis esse. Et denique ex Aristotele hæ plantis insunt, & animalibus, & partibus ipsorum: Cur excluduntur lapides, dicet fortasse aliquis cum etiam lapides corruptioni obnoxij sint?

Respondetur breuiter, & primo ad primũ argumentum, tametsi generatio, & corruptio contrarij motus inter se sint, nihilominus ex ijsdem causis proficiscuntur, diuerso tamen modo operantibus, nam simplex generatio, & naturalis, inquit Arist. in sequentibus, est mutatio ab his virtutibus cum habent rationem à subiecta materia vnicuique naturæ; & sensus est quod quando qualitates actiuæ, & passiuæ inter se proportionem habent, generatio celebratur; è contra vero, si improportionatæ sint corruptio sequitur: nimirum si qualitates actiuæ sint in debita proportione cum materia, hoc est cum qualitatibus passiuis, generatio accidit, sicuti è contra: nam ad generationem perficiendam, actiuæ qualita-

tes

qualem habeant generationem, & corruptionem, licet impropriam, neque veram, vt mixta sunt, de quibus Arist. in hoc loco sermo erit; atque propterea simplicem generationem, & naturalem mutationem plantis, & animalibus inesse docuit, non autem lapidibus.

DISPVTATIO III.

HAe autem sunt dictæ virtutes passiuæ), sunt alia verba, quæ in eodem cap. 2. Arist. subdit: Dixerat enim superius generationem, atque naturalem mutationem esse à virtutibus actiuis in passiuas agentibus, & contra corruptionem fieri quando passiuæ qualitates actiuas exuperant, neque ab actiuis superantur. Vnde propterea inferius; Generant autem, inquit calidum, & frigidum obtinentia materiam, hoc est superantia qualitates passiuas, (id enim per materiam hoc loco Arist. intelligit) cum autem non obtinent, cum scilicet actiuæ qualitates passiuas minimè superant secundum partem quidem μόλυνσις fit; μόλυνσις concoctionem significat, hic vero μόλυνσις secundum partem, inquit Arist., hoc est pars concoctionis non tota,

quam

quam indigestionem nonnulli interpretantur. Omnis igitur generatio à calido, & frigido fit, corruptio verò à ficco, & humido cum Arist.

Contra quam conclusionem multa adduci possunt. Nam generatio, vt alibi dicebamus est introductio formæ substantialis, sed forma substantialis non potest fieri ab accidentibus, cum nemo agat vltra suas vires. ergò nec etiam generatio quod à qualitatibus fiat affirmari potest.

Secundò si generatio à calido, & frigido fieret tunc ad quamlibet actionem calidi, & frigidi introduceretur forma substantialis in materia, non enim videtur cur magis per vnam actionem, quam per aliam ex accidentibus forma introducatur.

Tertio nonnullę generationes à sicco fiũt, vt cum generatur terra ex aqua, siccitas enim terræ humiditatem aquæ corrumpendo terram efficit: & è contra ex humido etiam generatio efficitur, cum scilicet aquæ humiditas siccitatem terræ corrumpit, & aquam generat.

Præterea generatio interdum à solari radio fit, radius vero solaris, neque calidus est neque frigidus.

Et

Et denique visus Basilisci generat cadauer, hominem interficiendo. ergò non semper à calido, & frigido generatio accidit.

Pro declaratione præsentis quæstionis sciẽdum est Arist. in hoc lib. 4. metheorol. intendere tractationem de generatione, & corruptione mixtorum præcipuè, vt superius dicebamus, non autem de generatione quacunque, & vniuersali. cum verò, inquit qualitates actiuæ calor, & frigus principia sunt, & causæ generationis, intelligendum est de generatione mixtorũ, & præcipuè viuẽtium.

Ad argumenta autem in contrarium adducta, sic respondetur, & primo ad primũ. Generatio est introductio formæ substantialis transeat hoc de vera generatione, sed forma substantialis non potest introduci ab accidentibus. Respondetur ab accidentibus vt causis principalibus concedo, vt secundarijs verò, & veluti instrumentis negatur. Propterea quod verum quidem est, quod accidentia vt accidentia sunt nulla vi pollent generandi substantias, sed accidentia id agunt quatenus formæ substantialis instrumenta sunt, nempe elementa sunt illa, quæ vt causæ principales generant, qualitates verò vt causæ instrumentales dictorum elementorum.

Secun-

Secundo si calidũ, & frigidum essent causæ instrumentales generationis, sequeretur, quod ad quamlibet actionem calidi, & frigidi esset generatio. Respondetur etiam hoc intelligi de generatione mixtorum, atque de generatione perfecta, haud verò secundum quid, ad quam omnes concurrunt qualitates, prædominantibus autem actiuis, siue vna actiuarum; quibus actiuis qualitatibus proportionaliter agentibus, vt dicebamus, generationes formæ mixti fiunt.

Actiuæ inquam qualitates, siue vna ipsarum prædominantur in qualibet generatione, quia in generatione auri nimirum, vel aliorum metallorum frigidum prædominatur, in generatione sulphuris calidum, & sic de alijs, interdum verò vtraque ex his, nempe frigidum, & calidum passiuis qualitatibus prædominium habent, vt in mixtis temperatis accidit, quæ neque calida, neque frigida sunt, cum in æquali mensura, & calor, & frigus in ijsdem reperiantur, atque passiuis qualitatibus dominentur. Quare ad actionem cuiuscunque qualitatis non sequitur generatio, quia necesse est, vt omnes concurrant, & præcipuè in generatione perfecta, siue mixtorum perfectorum.

Quarto

Quarto obijciebatur, quod nonnullæ generationes fiunt à qualitatibus secundis siue passiuis. Respondetur nequaquam mixta vnquam à passiuis qualitatibus generari posse, sed de corporibus simplicibus id valere, quorum formæ generantur, & corrumpuntur siue generari, aut corrumpi valent, ad generationem, siue corruptionem secundarum dictarum qualitatum.

Denique radij solares etiam generant, sicuti etiam visus Basilisci hominem corrumpit, atque cadauer generat, cum tamen neque radij solis, neque visus Basilisci, calidi, vel frigidi sint. Respondetur, solares radios vtique per se calidos haud esse, sed per accidens, atque vt calidos generandi vim habere, sicuti etiam visus Basilisci generat quidem cadauer. ergo generatio haud à calido, vel frigido, cum sicco, & humido concomitatis fieri potest, negatur, si tamen de generatione non largo modo intelligamus, at de generatione perfecta, atque ab esse imperfecto ad esse perfectum, siue ab esse ignobiliori ad esse nobilius, quam quidem generationem in hoc quarto metheorologicorum pertractare intendit Arist. vt dicebamus, nempè generationem mixtorum, non autem genera-

tionem quamcunque, ſicuti cadaueris eſt, exempli gratia, quæ potius corruptio propriè appellari debet, quam generatio, cum mutatio ſit ab eſſe perfecto ad imperfectum, ab eſſe nobiliori ad ignobilius, nam viuens corpus nobilius eſt ipſo cadauere.

Si autem aliquis quomodo ſolares radij calefaciant, comulatè magis, magiſq. perfectè ſcire cupiat, in ſequenti diſputatione ipſi fortaſſe ſatisfaciam, vbi pro viribus meis hanc quæſtionem decernere conabor.

DISPVTATIO IV.

QVomodo radij ſolares calefaciant in ſuperiori diſputatione dilucidare polliciti fuimus, & quidem vt Iacobus Zabarella recenſet cap. 10. de calore agendo. Quorundam opinio fuit radios ſolares calefacere eo modo, quo calefacit motus, nempe motus aerem attenuando, atque rarefaciendo calefacit; Sic igitur & radij ſolares motu ſuo aerem percutientes eundem attenuant rarefaciunt, atque calidum reddunt. Vndè Ariſt. primo metheorol. cap. 4. ſtante autem terra inquit, is qui circà eam eſt humor à radijs, atque ab alia quæ deſuper venit caliditatè

tate in vaporem conuertitur, nempe ex motu Cœli, & radiorum motu pariter aerè percusso, & attrito calor generatur. Non ex radijs igitur vt lumen sunt per Arist. calor generatur, sed ex motu eorundem radiorum, vt audiuistis, atque melius idem Arist. 2. Cœli tex. 42. docet; & hæc etiam ratio est, quod radij ijdem solares per reflexum percutientes magis calefaciunt, quam rectò tramite fluentes, quia scilicet primo modo aerem magis mouent, cum bis, & sæpius eandem percutiant, per directum verò fluentes semel, aut minus: Sicuti etiam radij solares vniti magis agunt, magisq́. calefaciunt, quinimo adurunt interdum, vt experientia constat, quia nimirum tanquam vniti intensius agunt, virtus enim vnita fortior est.

Ex altera verò parte radij solares pars lucis sunt, siuè quid à luce prouenie ns, lux autem ingens albedo est, vt Arist. 1. metheorol. cap. 4. docet, necnon libro de sensu, & sensili. Quo igitur modo albedo color, & accidens substantiam aeris mouere potest? cum etiam radij corpora non sint, sed intẽtionaliter progrediantur per eũdem Arist. 2. de anima, nam alias daretur penetratio corporũ si radij solares per aerẽ intẽtionaliter non mouerentur.

Sanè difficilè est assignare rationem cur, & quomodo radij solares calefaciant, nam Arist. quodammodo sibi ipsi in hac re contradicit, vndecimo enim probl. 33. radios corpora esse, siue corporum naturam habere docuit: Superius verò in 2. de anima corpora minime esse, quia daretur penetratio corporum inquit. Plures quidem Doctorum circa hanc quæstionem laborarunt, inter cœteros verò Federicus Bonauentura cũ Diuo Thoma ait, radios solares mediæ naturæ esse, partim scilicet, spirituales, partim verò materiales, vt ergo spirituales spiritualiter agũt, vt verò materiales materialiter. Vel si hæc responsiò aliquibus non arrideat illud ipsum asseremus, quod Iacobus Zabarella loco superius allato, refert, nempè lumen atque radios solis ex quorũdam opinione calefacere, quoniam ex propria natura id habent, sicuti magnes de sui propria natura attrahit ferrũ, succinum paleam, & sic de singulis. Verum dicet aliquis ita respondere est recurrere ad sacram anchoram, ad Asylum ignorantiæ, vt dici solet. & ego cum Arist. in 2. de anima huic respondeo, quod temerarium est de omnibus causam velle, cunctis enim de rebus causæ assignari non possunt.

Verum hac de radijs disputatione omissa, & quomodo calefaciant, alia se se offert diluenda quæstio de calore: nimirum penes Arist. variæ caloris appellationes reperiuntur, atque præsertim 2. de ortu animalium cap. 3. calor vel cœlestis est, vel elementaris, & insuper eundem cœlestem calorem prolificum, & vitalem esse. Elementarem verò haud esse vitalem, sed potius vitæ destructiuum: nempè quia calor elementaris igneus est, ignis autem nullum animal generat ex Arist. Quare cum aliqua efficitur generatio, verisimile est haud elementarem calorem esse, qui eidem inseruiat, sed potius calorem alium, & illum præcipuè, qui ex Arist. cœlestis appellatur.

Ex altera verò parte idem Arist. 1. metheorol. cap. 4. omnem elementarem calorem à cœlo produci affirmauit, quare nulla quidem differentia est inter calorem elementarem, & cœlestem, aliquis dicet.

Et profectò calor elementaris, atque cœlestis, vt calores sunt inter se non differunt, mea sententia. Differunt verò secundum gradus, atque dependentiam; quia scilicet cœlestis calor in maiori intensione reperitur, quam calor elementaris, & ex alio calore

non dependet: Calor vero elementaris ẽ cõtra est in minori intensione, atque à calore cœlesti dependet. Vnde benè Arist. dixit, quod omnis calor elementaris à cœlesti dependet. Differunt etiam duo calores cœlestis, & elementaris secundum diuersas operationes; nam calor cœlestis potest exercere suam propriam, & præterea elementaris caloris operationes. Elementaris verò nonnisi suam propriam, qualis est, verbi gratia, vt attenuet, disgreget hetherogena, & homogenea congreget, atque similia: Calor verò cœlestis præter has dictas operationes generandi vim habet, & concurrendi ad generationem viuentium. Vnde Arist. 2. de ortu animalium cap. 3. insitum est, inquit, in seminibus principium vitale, quod proportione respondet elemento stellarum, scilicet cœlo, quod ex Arist. quintum elementum vocari solet. quando igitur calor animal generat, cœlestis appellatur, nam cœlesti operationi inseruit, cum sol, & homo generent hominem, vt aliàs dixit Aristoteles, quando verò inferiores aliàs recensitas operationes exercet elementaris dicitur, atque ita vnus, & idem hi duo calores sunt, differunt autem secundũ diuersas operationes, quas exercent.

D I-

DISPVTATIO V.

GEnerant autem calidum, & frigidum dominantia materiæ, cum autem non dominantur, ſecundum partem quidem inquinatio, & inconcoctio fit) erant verba Ariſt.in cap.2.4.metheorologicorum, quem textum declarauimus iam ſuperius. Verum vt cumulatè magis intenſio Ariſt. habeatur, diſcutiendum propono in præſenti diſputatione, quomodo actiuas qualitates dominari paſſiuis intelligi debeat. In qua re variæ fuerunt Auctorum ſententiæ, nam Medici ſuper primam Auic. actiuas qualitates ſuperare paſſiuas intelligi voluerunt quoad gradus, & intenſionem earundem: Nempe obtinent actiuæ paſſiuas qualitates, ſiue eaſdem ſuperant quandocunque plures adſunt actiuarum qualitatum gradus, quam paſſiuarũ; Vt exempli gratia, ſi in aliquo mixto calor vt ſeptem reperiatur, humiditas vero vt quatuor, & ſic de alijs. Hæc autem opinio Pomponatio minimè arridet, quia vt qualitates actiuæ hac ratione ſuperent paſſiuas nunquam poteſt contingere, nam etſi in aliquo mixto, exempli gratia, ſeptem gradus calo-

ris reperiantur, & tres vel quatuor humiditatis, attamen qualitates actiuæ passiuas non superant, quoniam licet quatuor, vel tres gradus humiditatis adsint, reperiuntur tamen alij gradus quatuor, vel quinque siccitatis; & sic in mixto actiuæ qualitates passiuas nunquam superant, vel excedere valent; cum deficientibus gradibus humiditatis, alij siccitatis loco eorundem presto sint, & simul cũ illis semper expleant latitudinem octo graduum; concurrunt enim ad mixti generationem elementa cum omnibus suis qualitatibus contrarijs simul attingentibus & explentibus summum gradum, atque vbi in intensione vna qualitas deficit pro ea alia supplet. Nonnulli imperium, siue dominium actiuarum qualitatum (propter hanc Pomponatij difficultatem) in generatione mixti ad passiuas intelligi asseruerunt, de duabus tantummodo qualitatibus, hoc est de calore, & humiditate, cum omne mixtum excessu calidi, & humidi semper fiat, calido ipso in humidum agente, ac propterea existente in maiori intensione, quam ipsum humidum: non autem supradicta Arist. verba intelligũtur de sicco, & frigore, quia frigus tantum abest, quod ad generationem concurrat, vt

potius

potius eandem impediat, cum quælibet naturæ operatio mediante motu exerceatur, frigus autem constringendo, atque congelando motum prohibet.

Sed contra hanc opinionem maximè facit ipse Arist., qui hoc dominium qualitatum actiuarum supra passiuas intelligit etiam de frigore, dum inquit, (generant autem calidum, & frigidum dominantia materiæ.) Debet igitur etiam frigus materiæ, vel passiuis qualitatibus dominari in generatione celebranda, non autem solus calor. Et quod etiã de frigore in passiuas qualitates dominium intelligatur, constat ex eo quia mixta excessu frigidi, aut in frigido excedentia plurima dantur, immò etiam frigidissima reperiuntur, cuiusmodi sunt metalla, & plantæ nonnullæ, aut alia his similia.

Buccaferreus hanc dominationem actiuarum qualitatum supra passiuas, intelligi, inquit, non quoad gradus, sed intentionaliter, & quoad virtutes. Verum qualitatum virtus responderi potest Buccaferreo ex intensione pendet, atque prout magis, & minus intensæ qualitates sunt, maiorem, minoremuè potentiã obtinẽt; quare nec etiam Buccaferrei responsio propositæ dubitationi satisfacit.

Pom-

Pomponatius denique, cui etiam plurimi recentiorum astipulati sunt, dominium qualitatum actiuarum supra passiuas, interpretatur proportionem, nimirum cum qualitates actiuæ ad passiuas proportionem habent, tunc forma è materia educitur, vel generatio fit, non autem dominium actiuarũ qualitatum in passiuas intensiuè, & quoad gradus intelligendũ est, quia multa dantur mixta, in quibus humiditas calorem superat, cuiusmodi inter cætera oleum est, quod tamen intensiuè plures gradus humiditatis habet, quam caloris, & nihilominus perfectè est mixtum, atque formam mixti in se continet.

Verum in quo nam consistat ista proportio qualitatum, nam aliquis iterum dubitare posset, aduersus Pomponatij responsionem. Ego quidem Medicorum opinioni astipulando, qualitates actiuæ, dicerem, tunc superant passiuas, cum in maiori gradu ijsdem passiuis reperiuntur, è cõtra verò corruptio accidit, quando passiuæ actiuis magis intensæ sunt, & præsertim cum humiditas calorem superat, tunc corruptio magis sequitur, vt in febribus malignis accidit, quæ ex eadem causa generantur, vt plurimum, sicuti alibi melius examinabimus.

Neque

Neque obstat exemplum de oleo superius allatum, nam potest negari quod oleum magis humidum sit quam calidum, apparet quidem magis humidum, & minus calidũ, quia caliditas cum humido minus actiua est, siccitas enim est lima caloris non humiditas ex Aristotele pluribus in locis.

Actiuæ igitur qualitates passiuas superantes mixtionem efficiunt, atque formam mixti è materia educunt, vel in esse ponunt. Sunt autem actiuæ qualitates calor, & frigus. Dubitauimus paulò superius an frigus actiua qualitas ad generationem concurrat; nimirum quia ad generationem efficiendam miscibilia, atque miscibilium vnio requiritur, quam frigus prohibet cum miscibilia induret, atque mixtioni inepta reddat. Et sanè ad generationem quamcunque naturalem calor principaliter magis concurrit, quia vt dicebamus calor miscibilia attenuando, atque rarefaciendo mixtioni quoque maximè apta reddit, quam quidem miscibilium attenuationem, & rarefactionem, frigus nisi per accidens non efficit, quatenus videlicet eundem calorem interdum attemperat, aut alio modo alijs qualitatibus proportionatum reddit. Vel possumus etiam dicere quod generatio

ratio

ratio etiam à frigore principaliter fiat, quatenus frigus idem generatum mixtum congelando perficit, vel aliquo alio simili modo adiuuat, vt in metallis, exempli gratia, accidit. Generat enim natura metalla, prius humida cum siccis permiscendo; vt verò metalla eadem ad vsum reddantur congelante frigore indigent, à quo consistentiam principaliter habent; & sic etiam frigus ad generationem aliquo modo principaliter cõcurrit. Auerr. in hunc locum perpulchram affert pro hac re explicanda similitudinem. Ita inquiens forma mixti à frigore generatur, vt forma ensis, exempli gratia, ab artifice, vel aliqua alia similis forma. Nempe artifex cũ è metallo aliquam vult formam educere primo cum igne, vel ignis calore mediante metallum liquefacit, & humidum, atque siccum attenuando, magis tractabile reddit pro forma ex eodem metallo educenda. Posteaquam verò formam eduxerit, congelante frigore, atque consistentiam exhibente indiget. Ita etiam, & natura operatur, atque in generatione formæ mixti se se gerit, nempè calore primum mediante, humida, & sicca attenuat, adhoc vt miscibilia magis, meliusq. reddantur, postea verò mixtione peracta, atque

atque forma mixti ex miscibilibus educta, frigore etiam vtitur, quod mixtum idem refrigerando indurat, atque vsui, & durationi magis, ac magis aptũ reddit. Magis principaliter igitur calor, minus principaliter quoque frigus ad mixti generationem concurrunt, atque pro forma mixti generanda, tam frigus quam calor supra passiuas qualitates, humidum, & siccum reperiri debent. Et hæc sunt quæ magis communiter recipiuntur apud Philosophos, & Medicos, circa verba dicta Arist. generant autem calidum, & frigidum dominantia materiæ.

DISPVTATIO VI.

Simplici autem generationi contrarium maximè commune putrefactio est) sunt alia verba Arist. in contextu, nam superius Arist. loquutus fuit de generatione, nunc autem incipit agere de re generationi contraria, nempe de putrefactione (simplici autem generationi inquiens contrarium maximè commune putrefactio est.) Circa quam conclusionem Vicomercatus in com. Augustinus Niphus, & alij dubitarunt quomodo simplici mixtorum generationi putrefactio contra-

trarietur, nam plures modi corrumpendi mixta sunt, nempe ex ferro, aqua, igne, & similibus alijs intereunt homines, quarè generationi solummodo putrefactio minimè contrariatur, vt docet Arist.

Vicomercatus in commentario huic difficultati tali pacto respondet, quod mixtis corporibus, aliæ etiam corruptionis species contrariæ sunt, sed putrefactio est corruptio magis communis, & naturalis, quam aliæ corruptiones, nā loquutus fuerat superius Arist. de generatione simplici, & naturali, ideò etiā de corruptione naturali agendum erat, quæ est putrefactio, dicit autem Arist. quod generationi contrariatur putrefactio, neque meminit aliarum specierum corruptionis, quoniam putrefactio vltima corruptio est. Vnde inferius naturalis enim, inquit, omnis interitus ad hanc via est, hoc est quelibet alia corruptio ad putrefactionem via est, cuiusmodi senectus sunt, & euansis, siue siccitas latinè, senectus nimirum in animalibus, siccitas verò in plātis ad putrefactionem via sūt.

Finis enim omnium marcedo, nisi aliquid violentia corruptum fuerit natura constantium. (Est enim, & carnem, & os, & quodcunque comburere, quorum finis secundum

naturam

naturam corruptionis putrefactio est.) Sunt alia verba Arist., super quibus Zabarella in suis de Philosophia naturali cap. 3. lib. 2. duas mouet quæstiones. Et primo quærit vtrum solummodo modis prædictis, nempe combustione, & putrefactione mixta intereant, an verò alijs interitus speciebus? Secundo verò, quomodo putrefactio naturalis interitus ex Arist. dicatur. Nam quod attinet ad primam quæstionem Argenterius Medicus in lib. Artis paruę Gal. vbi de putrefactione agit Aristotelem reprehendit, quia præter putredinem, & combustionem plures alij interitus assignari possunt in mixtis; Nam gladio, suspendio, morbo submersione, & alijs modis intereunt homines.

Archangelus verò Mercenarius in suis dilucidationibus, Aristotelis patrocinio intentus, sic Argenterio respondet. Non loquitur inquiens Arist. in præsenti loco de omnibus speciebus corruptionis, quæ accidere possunt, sed solum de illis, quæ mixtis vt mixta sunt conueniunt, quales putrefactio, & combustio sunt, his etenim solummodo mixta intereunt duobus modis, cœteri verò interitus, siue species corruptionis ab Argenterio numeratæ mixtis, vt mixta sunt haud conue-

niunt

niunt, sed vt viuentia, nam gladio submersione, aut suspendio corrumpuntur homines, vt viuentia animalia sunt, vt verò mixta putredine, & combustione solum. Sicuti è contra non viuentia mixta, vt lapides exẽpli gratia, neque laqueo, nec submersione, corrumpuntur, sed sola putredine, & combustione.

Cum Archangeli Mercenarij responsione conuenit etiam Zabarella cap. 3. in suis naturalibus quæstionibus. Sed præter dictos interitus, putrefactionem scilicet,& combustionem, Zabarella addidit etiam tertium modum corruptionis mixti. Vtique asserens putredine, & combustione mixta vt mixta sunt intereunt, verum combustio mutatio mixti est in vnum solummodo elementum, scilicet ignem remanente parte terrea, quæ ob magnam resistentiam non comburitur, neque ab igne transmutatur. Quare si detur aliquid aliud præter ignem, quod mixtum permutare valeat, profecto dabitur etiam alius modus interitus. Sed sic est quod datur frigus,à quo mixtum permutari valet. Ergo præter supradictos modos intereundi etiam tertius reperitur. Quod autem ingens frigus mixta in aliam naturam permutare valeat

res

res clarisima est, & oculis ipsis inspicienda, nam paleæ, fructus, & fungi præcipuè infiniti conspiciuntur ex ingenti frigore petrificati, atque in naturam lapidis commutati. Vnde cum Zabarella tres non autem duo solum mixtorũ interitus sunt, nempe putredo, cum scilicet mixta in sua principia, & elementa resoluuntur; alij vero duo per contraria excedentia sunt, nempè per frigus extremum, extremumque calorem, atque illum congelationem, hunc vero combustionem passim Philosophi appellant.

Neque obstat quod Arist. in præsenti de combustione solummodo mentionem fecerit, siquidem responderi potest Aristotelem in præsenti nequaquã de omni interitu agere intendisse, sed exempli gratia solius adustionis mentionem fecisse, qua cognita contrarium eiusdem cognosci poterat, cum ex Arist. alibi contrariorum eadem sit ratio, & disciplina.

Aliud quod super verba Arist. in contextu dubitabatur, erat quomodo putrefactio interius naturalis sit. Non enim videtur putrefactio naturalis posse appellari, sed potius violenta corruptio, cum violentum illud dicatur, quod est à principio extrinseco, atque

principium putredinis tale ſit, vt patet ex verbis Ariſt. inferius examinandis, (cum putrefactio, inquit, corruptio eſt natiuæ caliditatis in vnoquoque humido ab externa caliditate.)

Thomas Eraſtus in ſua aduerſus Mercenarium diſputatione de putredine hanc difficultatem euitare cupiens, duæ inquit ex Ariſtot. dantur putredines, naturalis ſcilicet, & præternaturalis, ſiue morboſa, & naturalis nihil aliud eſt niſi corruptio humidi à naturali, & intrinſeco calore. præternaturalis vero, quæ ab extrinſeco accidit ideſt à calore ambientis; cum autem, inquit, naturalis interitus putrefactio ex Ariſtotele dicitur de naturali non autem de præternaturali putrefactione intelligitur. Sed hæc Eraſti reſponſio non videtur conſona Ariſtotelis verbis, atque doctrinæ, cum nullibi Ariſt. id docuerit, quinimo è contra cum de putrefactione loquutus fuit, ſemper extrinſecus eam accidere docuit.

Albertus ſuper hæc eadem Ariſtot. verba cap. 6. putrefactionem naturalem interritum appellaſſe Ariſt. inquit, non quia tamen ab extrinſeco calore eam fieri velit, ſed naturalem eandem dixit, quatenus ad eandem efficiendam

ciendam etiam calor naturalis ab extrinſeco auctus, concurrat, ideoque naturalis appellatur.

Huic Alberti opinioni aſtipulatus etiam fuit Buccaferreus, ſed profectò reſpõſio hęc neque etiam conſonat Ariſt. doctrinæ aſſerentis ſemper putrefactionẽ à calore extrinſeco fieri, nunquam vero à calore naturali cum extrinſeco concurrente, vt Albertus, atque Buccaferreus aſſeruerunt.

Vicomercatus etiam in commentario putrefactionem naturalem interitum ex Ariſt. appellari docuit, quoniam paulatim fit, (natura enim ſenſim operatur) combuſtio vero interitus violentus eſt, quia celeriter celebratur; ſed hæc etiam reſponſio minime recipitur, ſiquidem inquit Albertus, modus ſequitur rem; non igitur putrefactio eſt naturalis, quia modus naturalis eſt, ſed è cõtra potius, quia res, & putrefactio eſt naturalis, modus eſt talis.

Præterea nonnulli dixerunt putrefactionem dici ex Ariſt. naturalem interitum, quoniam internum principium ſaltem paſsiuum naturale habet, ſcilicet ratione materiæ. Sed hac ratione Pomponatius, inquit, non magis putrefactio, quam combuſtio naturalis eſt;

cum combustio internum principium pasiuum etiam habeat,atque materia non modo ad putrefactionem , verũ ad combustionem prompta etiam sit. Ideo nec etiam huiusmodi responsio prædictæ dubitationi satisfacit.

Alij denique alia dixerunt, sed inter cæteros Pomponatius, mea sententia, hanc dubitationem doctisime diluit, nec non Aristot. verba omnium optimè commentatus fuit; vel natura inquiens particularis est, vel vniuersalis, nempe natura particularis illa est, quæ mixtum particulariter conseruat; Natura vero vniuersalis est omnium rerum ordo, seu omnium causarũ certo quodam ordine dispositarum cum pendentia ab vno principio; vnde statutæ sunt leges, quæ præteriri non possunt, sicuti Arist. 2. de anima etiam docet. Non igitur natura particulari putrefactio est naturalis, inquit Pomponatius,quoniam particularis natura mixti,haud putrefactionem, sed eiusdem conseruationem,atque patrocinium intendit: Sed natura vniuersali, quatenus videlicet lex est in primo principio statuta, vt mixta per putrefactionem intereant, atque in ea dissoluãtur, ex quibus composita sunt.Combustio autem dicitur è contra violenta, quoniam natura

vni-

vniuersalis non statuit vt res comburantur, accidentaliter enim combustio mixtis accidit, & propterea violentus interitus ex Arist. dicitur, non autem naturalis. Putrefactio igitur est naturalis interitus mixtorum, haud vero mixtorum omnium, sed inanimatorũ, & mixtorum vt mixta sunt, non autẽ vt viuentia; nam viuentibus, & animatis mixtis, alium interitum natura constituit, nempe interitum per humidi consumptionem à proprio calore, & naturali factam, atque hic interitus mors propriè ex Arist. appellatur in proprio lib. de morte, & vita; Moritur inquam viuens, vt viuens est, putrefit vero vt mixtum, sicuti superius à principio indicabamus.

DISPVTATIO VII.

PRopter quod humida primum, deinde sicca, tandem fiunt putrescentia) subdit Arist. in eodem cap. 2. 4. lib. Metheorolog. nam in superioribus postea quã docuit qualitates esse causas generationis, & quid sit generatio, atque alia similia, & postquam descendit deinde ad contrarij declarationem, nempe ad putrefactionem, & hanc dixit con-

trariam esse præcipuè generationi, quia aliæ curruptiones ad hanc sunt via, & dispositio (finis enim omninm, atque naturalis interitus putrefactio est, vt dicebatur, nisi aliquid violentia corrumpatur.) Nunc his omnibus suppositis subiungit, quod propter hoc humida primum, deinde sicca tandem fiunt putrescentia, nempe sensus est quod hic est ordo putrefactionis, vt humida primum, deinde sicca tandẽ fiant putrescentia: Calor enim naturalis à mixto per calorem extrinsecum in putrefactione euadens non naturalis, humidum, & siccum separantur, siquidem, vt dicebamus, calor est qui sicci cum humido mixtionem efficit; cum itaque calor desinit esse in debita proportione qualitates passiuæ, humiditas, atque siccitas, à quo simul misceantur amplius non habent, & sic humidũ, & siccum ad sua loca tandẽ redeunt: & quoniam siccitas, atque humiditas in putrefactione mixti separantur, propterea etiam Arist. in præsenti textu, quem præ manibus habemus, humida inquit primũ mixta fiunt, deinde vero sicca, ex his enim facta sunt, & terminatum fuit humido siccum operãtibus actiuis: fit autem corruptio cũ terminatum dominatur terminanti, quando scilicet humidum

midum terminatur à calido coagulante, vel à frigido congelãte, ſiccum vero terminatur à calido, & frigido, mediante tamen humido, ſiquidem niſi ſiccum cũ humido miſceatur terminari non poteſt, vt patet in factione laterum, exempli gratia, in qua terra ſicca cum humido aqueo mixta terminantur, & lateres fiunt, quod ſi è contra cum humido aqueo ſiccitas non miſceretur, terra eadem nequaquam terminaretur, nec lateris formam acciperet.

Et propriè dicitur putrefactio in his, quæ ſecundum partem corrumpuntur, cum ſeparata fuerint à natura.) Sunt alia verba Ariſt. in eodem cap. 2. ſcilicet, cum terminans dominatur à terminato putrefactio fit vt dixerat ſuperius Ariſt. Hoc autem dominari à terminato, poteſt etiam accidere in partibus mixti, & quando accidit etiam putrefactio ſequitur docet Ariſt. exemplo elemẽtorum, quæ licet ſecundum totum non putreſiant, attamen ſecundum partem putrefieri maximè valent; Terra enim, aqua, & aër, cum natura ſeparantur etiam putrefiunt præter ignem, nam omnia alia elementa igni materia ſunt.

Sed dicet aliquis putrefactio eſt paſſio

mixti,ergo elementa putrefieri non possunt, cum simplicia corpora sint,non autē mixta.

Secundo siccum sine humido putrefieri non potest, vt supra asserebatur. Sed terra, exempli gratia, sicca est, quare putrefieri minimè potest.

Profectò quatenus elementa pura sunt,atque simplicia corpora putrefieri non posſūt cum putrefactio corruptio mixti sit, vt mixtum est,veluti superius dicebarur. Putrefieri autem possunt elementa secundum partes, quando alterata, vel mixta sunt. Vnde elementa, inquit Arist. corrumpuntur cum natura separantur, cum scilicet alijs elementis miscentur, nec pura amplius, atque simplicia, sed mixta corpora sunt.

Ad argumenta igitur, quæ in contrarium afferebantur.Respondeo primum, quod elementa pura, vel in statu naturali existentia non possunt putrefieri; Elementa vero alterata, atque mixta maximè putrefactioni obnoxia sunt, & de his elementis Arist. intellexit, quando dixit elementa putrefieri, quæ eadem responsio valet etiam ad secundum argumentum in oppositum allatum.

Sed aer præterea dicet aliquis etiam in statu simplici consideratus, habet omnia requi-

sita ad putrefactionem. Nam vt infra dicetur putrefactio est corruptio natiuæ caliditatis in humido, sed aër habet calorem, atque humiditatem, ergo & putrefieri maximè valet. Igitur elementa etiam in proprio statu naturali, atque vt simplicia corpora sunt putrefieri possunt.

Respondetur primo, essentiam putrefactionis consistere in separatione humidi à sicco, calores autem corrumpens, atque corruptus causæ corruptionis sunt, siue rectius loquendo putrefactionis. Sed sic est quod aër in simplici statu consideratus nullam habet siccitatem, ergo aer putrefieri non potest. Verum quidem est quod aer corrumpitur, illa autẽ puri aeris corruptio erit potius transmutatio, quam putrefactio, nam ablata propria caliditate, atque alia introducta in materia aeris, remota etiam humiditate, atque siccitate introducta, aer amplius aer non erit, sed ignis: Potest igitur aer corrumpi, atque transmutari, non tamen putrefieri, cũ etiam à sua corruptione nihil postea remaneat cineritij, vt supra indicauimus.

Quapropter omnia elemẽta, præter ignem putrefieri vltimo loco dixit Arist. in præsenti textu; ignis enim materia hæc omnia sunt.

Contrà

mixti,ergo elementa putrefieri non possunt, cum simplicia corpora sint,non autẽ mixta.

Secundo siccum sine humido putrefieri non potest, vt supra asserebatur. Sed terra, exempli gratia, sicca est, quare putrefieri minimè potest.

Profectò quatenus elementa pura sunt,atque simplicia corpora putrefieri non possũt cum putrefactio corruptio mixti sit, vt mixtum est,veluti superius dicebarur. Putrefieri autem possunt elementa secundum partes, quando alterata, vel mixta sunt. Vnde elementa, inquit Arist. corrumpuntur cum natura separantur, cum scilicet alijs elementis miscentur, nec pura amplius, atque simplicia, sed mixta corpora sunt.

Ad argumenta igitur, quæ in contrarium afferebantur.Respondeo primum, quod elementa pura, vel in statu naturali existentia non possunt putrefieri; Elementa vero alterata, atque mixta maximè putrefactioni obnoxia sunt, & de his elementis Arist. intellexit, quando dixit elementa putrefieri, quæ eadem responsio valet etiam ad secundum argumentum in oppositum allatum.

Sed aer præterea dicet aliquis etiam in statu simplici consideratus, habet omnia requisita

ſita ad putrefactionem. Nam vt infra dicetur putrefactio eſt corruptio natiuæ caliditatis in humido, ſed aër habet calorem, atque humiditatem, ergo & putrefieri maximè valet. Igitur elementa etiam in proprio ſtatu naturali, atque vt ſimplicia corpora ſunt putrefieri poſſunt.

Reſpondetur primo, eſſentiam putrefactionis conſiſtere in ſeparatione humidi à ſicco, calores autem corrumpens, atque corruptus cauſæ corruptionis ſunt, ſiue rectius loquendo putrefactionis. Sed ſic eſt quod aër in ſimplici ſtatu conſideratus nullam habet ſiccitatem, ergo aer putrefieri non poteſt. Verum quidem eſt quod aer corrumpitur, illa autẽ puri aeris corruptio erit potius tranſmutatio, quam putrefactio, nam ablata propria caliditate, atque alia introducta in materia aeris, remota etiam humiditate, atque ſiccitate introducta, aer amplius aer non erit, ſed ignis: Poteſt igitur aer corrumpi, atque transmutari, non tamen putrefieri, cũ etiam à ſua corruptione nihil poſtea remaneat cineritij, vt ſupra indicauimus.

Quapropter omnia elemẽta, præter ignem putrefieri vltimo loco dixit Ariſt. in præſenti textu; ignis enim materia hæc omnia ſunt.

Contrà

Contrà quæ Arist. verba, sic etiam inficiabitur studiosus. Elementa dictum fuit superius putrefieri posse cũ alijs elementis mixta sunt, sed ignis cum alijs misceri potest, quare etiam ignis putrefieri potest, & secundum partem saltem, licet non secundum totam eius substantiam.

Respondetur dupliciter considerari posse ignem, vel in proprio esse, vel in mixto, in mixto putrefieri dici potest quatenus putresit mixtum, non per se, sed per accidens ad mixti putrefactionem, quæ quidem putrefactio etiam igni improprie tribuitur. In proprio autem esse nequaquam ignis putrefieri potest, quoniã illud quod putresit maioris caliditatis esse debet, quam illud, à quo putresit, sed nihil est igne calidius, quare ignis putrefieri non potest: ex propria frigiditate, & extrinseca caliditate oritur putrefactio, Arist. infra docet; sed ignis nullam habet frigiditatem propriam; quare ignis neque in totum, neque secundum partem putrefieri potest.

DISPVTATIO VIII.

PVtrefactio autem est corruptio eius, quæ in vnoquoque humido propriè, & secundum

cundum naturam caliditatis ab aliena caliditate. Hæc autem est quæ ambientis)sunt alia verba Arist. in eodem cap. 3.

Postquam Arist, multa docuit de putrefactione, tandem ad illius definitionem se confert, & putrefactio, inquit, corruptio est natiuæ caliditatis in vnoquoque humido à calore ambientis. Circa quam definitionem quærendum est primo quid nomine ambientis intelligatur, cuius calore tanquam principali agẽte putrefactio fit. Nam aliquorum opinio fuit ambiens, ex quo putredo efficitur nihil aliud esse, nisi aquam, & aerem. Hæc etenim duo secundum Arist. infra ambientia media sunt, vnde in aere, & in aqua solum putrefacta mixta conspiciuntur; Et si forte in terra etiam aliqua mixta putrefacta inueniantur, ratione eorundem aquæ, & aeris ambientium id accidit. Et profecto aer & aqua, quia communiter continentia magis sunt, non negauerim ambientia putredinem efficientia esse: At communis opinio est quod nomine ambientis, id omne intelligatur, quod rem putrefaciendam continere potest: cuiusmodi in venis, exempli gratia, sãguis, vel alius humor, si putrescat ambiens putrefaciens non aqua, vel aer erunt, sed ca-

ro,

ro, vel pars alia ſolidior, quæ calore extraneo, atque modum excedente prædita in humoribus ijſdem putredinem efficit, tanquam cauſa quædam externa; putrefit limus etiam, vel alia ſimilis res, non quia ab aere putrefiat, ſed quoniam limi eiuſdẽ pars calidior effecta aliam partem calefacit,& ita putrefactio accidit.

Non obſtat autem Ariſt.ambientia dixiſſe aerem, & aquam, hæc etenim duo, exempli gratia,ambientia dicuntur ex Ariſt. quia magis communia, atque vt plurimum ambientia ſunt, non autem quia alia etiam præter hæc dari non poſſint pro putrefactione particulari peragenda, quæ media ſint; nam ſicuti partes mixtorum infinitæ ſunt, atque vna pars alteri pro ambiente inſeruire poteſt, ita etiam plura ambientia præter aquã, & aerem putrefactioni inſeruientia sũt.Quid enim in phlegmone, exẽpli gratia, ambiens putrefactionis eſt præter carnem, aut membranas circumſtantes? vel potius pars alia humoris in ipſo phlegmone primo excalefacta? In febribus cum cauſa putredinis accidunt, putrefactionis cauſa, vel ambiens, aliquis humor, aut aliud ſimile in parte aliqua calefactum vicem ambientis gerere valet.

Itaque

Itaque ambiens, hoc est extrinsecum interpretari possumus, nimirum putrefactio corruptio est natiuæ caliditatis in vnoquoque humido ab extrinseca caliditate.

Sed cũ calor ambiens sit causa corruptionis naturalis caloris, & per consequens putredinis, (nam essentia putredinis separatio humidi est à sicco, hæc autem definitio putredinis, quæ nunc examinatur est per causam, non formalis definitio) cum inquam calor extrinsecus sit causa corruptionis naturalis caloris in putrefactione, quæret aliquis quomodo calor extraneus in calorem naturalem agat, eundemque corrumpat. Sunt enim non nulli asserentes calorẽ extraneum agere in naturalem, non quidem immediatè, siquidem simile in simile non agit actione corruptiua, & calor naturalis, atque calor extrinsecus vt calores inter se similes sunt, ergo in se inuicem agere non possunt. Quare si calor extraneus agit in naturalẽ, non primario, & immediatè, sed secundario agere dicendus sit: Nimirum agit calor extrinsecus primo in humidum educendo illud, atque à mixto resoluendo, cuius eductionem sequitur deinde caloris naturalis eductio. Ideoque humida primũ fiunt, quæ putrescunt, inquit Arist.

quia

quia ſcilicet humidum primo à mixto in putrefactione ſeparatur, atque extra ſecernitur.

Alij vero quidam cenſerunt in putrefactione à calore extrinſeco per ſimilitudinem educi primũ calorem naturalem, cuius eductionem inſequitur deinde eductio humidi, non autem humidum prius educitur, quam calor naturalis: Vnde propterea inferius Ariſt. tandem putrefacta, inquit frigida, & ſicca remanent, licet à principio humida, & calida ſint. Et hæc opinio quod calor extrinſecus agat immediatè in intrinſecum eſt magis communis atque Ariſt. verbis magis etiã conſentanea: (Exeunte enim proprio calore euaporat quòd ſecũdum naturam eſt humidum) ſequuntur alia verba Ariſt. in contextu. Itaque calor extraneus agit immediatè in calorem naturalem, ipſumque educit, cuius eductionem, deinde eductio humidi naturalis ſequitur; ſiquidem cum humidum non habeat amplius calorem naturalem, à quo contineatur cum ſicco mixtum, ſeparatur, atque ad exteriora pergit.

Quod calor extraneus agat primum in calorem naturalem, deinde vero in humidum, colligitur etiam ex ratione, ſiquidem videmus multa mixta valde exiccata interdum,

ac

ac tamen non putrefacta, quinimo ſicca præſeruantur magis à putrefactione, quod non eſſet ſi primo humidum exiret in putrefactione, quam calidum. Quare calor extraneus agit primo in calorem naturalem, eumdemque à mixto educit, cuius eductionem ſequitur deinde exitus humidi, & ſic mixta putrefiunt.

Non obſtat autem quod ſuperius in contrarium obijciebatur argumentum, nempe ſimile in ſimile non agit actione corruptiua, id quidem verum eſt, at cum calor extraneus educit calorem naturalem non agit in calorem naturalem, tanquam in contrarium, ſed tanquam in ſibi ſimile, quia ratione ſimilitudinis, atque vt ſimilis calor extraneus naturalem educit, ſiue corrumpit, non quidem corrumpit calor extrinſecus calorem naturalem vt calor eſt, ſed vt naturalis eſt.

Dicet autem aliquis quomodo verum eſſe poteſt, quod in putrefactione calor naturalis corrumpatur, ſiue à calore extrinſeco educatur cum putreſcentia valde calida in principio appareant? Limus exempli gratia, dum putrefit adeo calidus eſt, vt ex eodẽ foueantur quoque oua veluti à gallina, atque pulli etiam generantur; & in veſtibus, vel in alijs

rebus

rebus conclusis, neque transpirantibus, cum putrescunt idem experimur, quod scilicet calida valde à principio sunt. Quare calor mixti à calore extraneo, non educitur, dum mixtum putrescit, sed potius in eodem augetur.

Respondeo verissimum esse quod putrescentia calidiora fiant, id enim experientia docet, sed quomodo frigida putrefacta remanent? Albertus vt refert Zabarella huic argumento optimè respondet, cum frigida, inquit, euadunt mixta de calore naturali intelligendum id est; calore autem extrinseco, atque aduentitio calidiora fiunt. qui quidem calor aduentitius, cum humidum, & siccum in se continere non faciat, vel simul mixta permanere, humidum euaporat, & putrefacta sicca remanent. Quare putrefactionis ordo talis est. Calor nempè aduentitius, atque extraneus auget calorem naturalem, qui calor naturalis auctus, & non naturalis factus, nempè passiuis qualitatibus improportionatus, amplius mixtum nõ regit, sic humidum, & siccum, quæ erant causa materialis mixti separantur, quorum separatio est ipsa essentialitèr putrefactio, & sic optimè dicebatur calor extraneus agere in calorem naturalem, quatenus videlicet immediatè eumdem calorem

lorem naturalem à debita symmetria tollit, siue à proportione cum qualitatibus passiuis.

DISPVTATIO IX.

DEclarauimus in superiore disputatione primam, & secundam partem definitionis putrefactionis, quæ ex Arist. est corruptio natiuæ caliditatis in vnoquoque humido à calore ambientis: Examinauimus nẽpe quomodo intelligatur quod calor naturalis ab extrinseco, vel ambiente corrumpitur, & quid nomine ambientis intelligi debeat; nunc vero altera pars diluenda sese offert, nimirum in vnoquoque humido. Nam humidum vel est naturale, vel aduentitium, de quo igitur humido intelligitur Aristoteles de humido naturali nè, an verò de humido aduentitio?

Communis opinio est nomine humidi naturale humidum intelligi, sicuti enim superius diximus putredinem esse corruptionem caloris naturalis, ita etiam verba alia (in vnoquoque humido) de naturali humido intelligenda sunt; cui opinioni fauet etiam ipse Arist. cum infra, exeunte, inquit, proprio calore, quod secundum naturam humidum est

euaporat. De humido igitur naturali, siue secundum naturam verba Arist. in definitione putrefactionis intelligenda sunt.

Ex altera verò parte putrefactio est corruptio natiuæ caliditatis in vnoquoque humido, igitur de vnoquoque humido intelligendum est, qui enim dicit omne, nullum excludit, vt est commune axioma.

Et quod de vnoquoque humido verba Arist. intelligantur, videtur colligi etiam experientia, nam videmus in ædificijs quod ligna siccissima, exempli gratia, quæ diu, & per multos annos perdurarunt, quando madefiunt ab externo aliquo humido statim putrescunt, propter ipsum humidum aduentitium, non autem propter humidum naturale, siquidem illa diu durauerũt, atque diutius etiam præseruata à putrefactione permansissent, si ab humido extrinseco non fuissent madefacta.

Zabarella cap. 10. de generatione, & interitu mixti sane perpulchre hanc soluit quæstionem dum ait intelligi posse de vtroque humido, sed præcipuè intelligi de humido naturali. Sicuti enim de calore naturali intelligũtur verba alia, ita etiã de humido naturali intelligenda sunt hæc, & sicuti essentia

gene-

generationis est vnio sicci cum humido naturali, ita etiam essentia putrefactionis est separatio sicci ab humido naturali, siquidem contrariorum eadem est ratio, atque disciplina. Potest tamen interdum esse materia putrefactionis etiam humidum aduētitium, sed id est solum per accidens, & secundario, non autem per se, vt exemplo lignorum supra probabatur: Nam verum quidem est quod ligna sicca putrefiunt quoniam ex humido extrinseco madefacta redduntur, sed non ita humidum hoc extrinsecum est causa putrefactionis, vt non concurrat quoque humidum naturale, quinimo humidum naturale cōcurrit principaliter, extrinsecum vero secundario, & quatenus est quasi vehiculum naturalis humidi; negari enim non potest, quod ligna valde sicca aliquo etiam humido naturali prædita sint, siquidem lignum siccum alioquin haud esset mixtū, illud autem humidum, quod habent eadem sicca ligna paucum est, ita quod cum pluribus alijs siccitatis gradibus mixtum adeo est vnitum, vt separari non valeat, & propterea adhoc vt separetur humido extrinseco indiget, quod partem siccitatis vincat, & sic vnitum cū naturali humido, est deinde veluti vehiculū ip-

ſius humidi naturalis ad exeundum à mixto, ſeque à ſicco ſicciſſimi ligni ſegregandum; quare humidum quoque extrinſecum materia putrefactionis eſſe poteſt, non quidem principaliter, & per ſe, vt dicebamus, ſed ſecundario, atque per accidens, quia ſi non adeſſet in hoc caſu naturale humidum putrefactio nec etiam accideret, quæ conſiſtit eſſentialiter in ſeparatione humidi naturalis à ſicco naturali, vt dicebamus. Humidum ergo naturale, vt naturale eſt requiritur primariò ad putrefactionem, ſecundariò verò humidum extrinſecum ad eandem concurrit interdum, atque per accidens & tanquam vehiculum alterius humidi. Quod vt melius etiã intelligatur perpulchrũ affero exemplũ. Spagiricus Pharmacopœus, exempli gratia, cupit extrahere oleum ex ligno aliquo ſicciſſimo cuiuſmodi eſt cinnamomũ, Aloe lignũ, aut ſimilis alia ſubſtantia, & quia huiuſmodi ſubſtantiæ ſicciſsimę ſunt, atque humiditatis minimum habent, antequam ad actum extractionis deueniat, eaſdem madefacit vino, aut aliqua alia re, vt ſcilicet his humectatis ab extrinſeco humido, humidum dictum extrinſecum vehiculum ſit humidi radicalis, atque naturalis, & ſic humidum radicale, at-

que

que naturale, extrinſeco humido mediante extrahitur, ita ergo extrinſecum humidum vehiculum eſt humidi naturalis, cum putrefactio accidit. Atque ita putrefactio quando definitur corruptio natiuæ caliditatis in vnoquoque humido, de vnoquoque humido etiã intelligi debet, tam ſcilicet naturali quam extrinſeco, quia naturale concurrit principaliter, & per ſe, extrinſecum vero ſecundario, atque per accidens, vt dicebatur.

Redeamus nunc ad textum Ariſt. cuius verba ſubſequentia hæc ſunt. (Quare cum ſecundum indigentiam calidi patiatur; indigens autem tali virtute eſt frigidum omne: ambæ vtique cauſæ erũt, & putrefactio communis paſſio erit, & frigiditatis propriæ, & caliditatis alienæ) Aſſignauit nempe ſuperius Ariſt. cauſam putrefactionis, atque dixit eſſe alienam caliditatem, ideſt calorem extraneum, qui eſt cauſa principalis. Addit vero eſſe etiam aliam cauſam putrefactionis, ſed minus principalem, nempe frigus, vnde putreſcibile pati ait à calido extrinſeco, & à frigido intrinſeco, quod eſt ipſamet indigentia calidi intrinſeci. Vnde frigiditas intrinſeca, & caliditas extrinſeca ſunt cauſæ putrefactionis per Ariſt. ſed caliditas extrinſeca con-

currit principaliter,& frigiditas intrinſeca ſecundario, nempe tantummodo diſponendo calorem intrinſecum ad patiendum: caliditas verò extrinſeca agendo in intrinſecam caliditatem directè propriè, & principaliter concurrit ad putrefactionem. Ideoque putrefactio, vt aſſerebat Ariſtoteles communis paſſio eſt, & frigiditatis propriæ, & caliditatis alienæ.

DISPVTATIO X.

PRopter hoc enim ſicciora fiunt putreſcentia omnia,& tandem terra,& fimus) ſunt alia verba Ariſt. in eodem capite. Verũ dicet aliquis ſtatim putrefactio eſt corruptio natiuæ caliditatis in humido, qua igitur ratione putrefacta ſicciora euadunt? Diximus ſuperius quod putreſcentia in principio humida ſunt,exeunte enim proprio calore euaporat,quod ſecundum naturam eſt humidũ, vt dixit ſuperius Ariſt. humida igitur fiunt extrinſecus putreſcentia, quia humidum à ſicco ſeparatur,non tamen putrefacta; Aliud enim eſt dicere putreſcentia, aliud vero putrefacta, nam in fieri putrefactio cum humido eſt, in facto eſſe vero cum ſiccitate: propterea

pterea ſicciora ſunt, atque frigidiora putrefacta omnia, vt dicebat Ariſt. ac tandem terra, & fimus, quia nimirum euaporato humido, atque à ſicco ſegregato, ſiccum ſeparatum remanet, atque terra ſolum, & fimus.

Et in frigoribus etiam minus putreſcunt, inquit etiam inferius Ariſt. nempe ſequitur probare propoſitam putredinis definitionẽ, & præcipuè quod putrefactio ſit corruptio natiuæ caliditatis à calore ambientis, quia in frigoribus minus putreſcunt, quam in caloribus, & in hyeme minus, quam in æſtate.

Verum dicet aliquis cur in æſtate magis, in hyeme vero minus putreſcunt mixta? Reſpondetur, quoniam in æſtate calor extrinſecus calorem naturalem ſuperat, & ideo cum ſit ſuperior poteſt agere in calorem intrinſecum, & putrefactio fieri. In hyeme verò è contra calor extrinſecus ſuperatur ab intrinſeco calore mixti, ideo cum calor extrinſecus minus valeat, quam intrinſecus, non poteſt in eundem agere. Quod autem calor intrinſecus in mixtis tempore hyemis ſit maior res eſt clariſſima. Vnde Hipp. 1. aphor. 15. Ventres hyeme, & vere natura calidiſſimi, quare per ea tempora copioſiora alimenta exhibenda ſunt.

Congelatum etiam minus putreſcit ſunt alia verba Ariſt. ibidem magis enim frigidũ, quam aer calidus:ſicuti & feruens. Duas nempe alias rationes adducit Ariſt. ad probandũ quod putrefactio ſit corruptio natiuæ caliditatis à calore ambientis, prima eſt quod cõgelatum non putreſcit, ſicuti etiam neque feruens mixtum. Sed cur congelatum non putreſcit? Cur etiam neque feruens? Quia congelatum magis frigidum eſt ex Ariſt. quã ſit calidus aer ambiens. Vndè aer extrinſecus calidus in calorem frigidi mixti licet paucum agere nõ poteſt propter exiſtentis frigidi ſcilicet reſiſtentiam in maiori gradu, quam ſit ipſe calor extrinſecus. Et eadem ratione feruens non putreſcit, inquit idem Ariſt. quoniam feruens intrinſecus habet calorem ſuũ naturalem in maiori actiuitate, quam ſit calor extrinſecus putrefaciens, itaut aer extrinſecus in intrinſecum agere minime valeat; cũ etenim ſuperius de igne ageremus diximus ignem non eſſe corruptibilem, vel putrefactibilem, quoniam à quo corrumpatur non habet, nihil enim igne calidius datur, cum tamen putrefaciens putreſcente calidius sẽper debeat eſſe: vnde aromata, exempli gratia, aut non putreſcunt, vel non facile, quoniam

calor

calor ipsorum naturalis difficilè à calore extrinseco, & putrescente superatur. Non putrescunt etiam aromata aut difficile putrescunt, quoniam ficciora sunt, atque siccum eorundem putrefactionem prohibet, cum ne humidum diffluat, vel ex aromate separetur prohibeat.

Sicuti etiam quod mouetur minus putrescit sunt alia verba Arist. quod mouetur inquam minus putrescit, quam non motum, quia motu mediante in mixto siccitas introducitur, quæ deinde humidi separationem prohibet. Vnde Hipp. in lib. de dieta, exercitatio, inquit, exiccat sanguinem, & fibras eius, & corpus robustum facit. Secundo prohibet motus putrefactionem, quoniam motus caloris causa est per Arist. alibi; Vnde cũ mixta ex motu calefiant putrefactioni minus obnoxia sunt, quia calor mixti mediante motu adeptus, calori ambientis, atque putrefacientis maximè resistit. Ideoque mota non motis minus quoque putrescunt. Alex. in probl. Cur, inquit, aquæ stationariæ plus putrescunt, quæ vero mouentur minimè, quia scilicet motus introducit in aqua aliquam caliditatem, quæ deinde vinci non potest à caliditate ambientis.

Verum

Verum dicet aliquis Arist.22.sect.probl.4. & 25.sect. probl.17. quærit cur fructus conseruantur magis in vtribus flatu plenis? & respondet, quia omnia, quæ mouentur putrent. Secundo Medici passim à cibo quiescendum esse præcipiunt, quoniam ex motu corruptio cibi accidit. Quare mota non minus putrescunt, quam non mota.

Respondetur breuiter, & primum primo argumento respondet Apponensis in comm. nempè Aristotelem ibi intelligere de motu alterationis, non vero locali.

Ad secundum verò respondet Auerr. aliud esse rem considerare in fieri, aliud in facto esse, in fieri enim quælibet res quiete indiget, in facto esse autem motu pro sui conseruatione. Alia igitur ratio est cibi, qui concoquitur, & alia iam concocti, siquidem in cõcoctione quiescendum est, ne alio natura distrahatur. Vnde in coctione morborũ Hipp. 1. aph. 29. Inchoantibus morbis asserebat, si quid tibi videtur mouendum moue, cum verò consistunt melius est quietem habere; quia in statu coctiones fiunt; ideoque naturam mouere haud oportet, & non solum in coctione cibi, sed etiam in quacunque coctione id obseruandum est. E contra autem cum alimen-

alimentum benè coctum fuerit, tunc pro sui cõseruatione in partibus motu indiget, quoniam motus partes corporis firmat, atque corpus robustũ efficit; etenim motu eodem humidum corporis consumitur, & mixta calidiora fiunt, atque à calore extrinseco seperari non possunt, neque putrefieri.

Quare multum minus, quam paucum putrescit, addit denique Arist. eodem in loco, & quod multum minus putrescat, quam paucũ probat exemplo maris, mare etenim secundum totum non putrescit, secundum partem vero vtique putrefieri potest. Multum etiam vel calidum est, vel frigidum, multum calidum minus putrescit, quam paucum, quoniã in multo calido calor maior existit, ita ut resistentiam calori ambientis maximè faciat. Multum quoque frigidum minus putrescit, quia in multo frigido multum quoque frigoris reperitur, quod actioni externi caloris obsistere valeat. Animaduertendum tamen est quod de multo continuo hic etiam intelligit Arist. non de multo discreto, & separato: siquidem tritici aceruus, atque palearum cumulus facilius putrescunt, quam separata grana tritici, vel paleæ eædem separatæ.

DI-

DISPVTATIO XI.

SVperius differebamus de putrefactionis definitione, & cum Aristot. probabamus putrefactionem esse corruptionem natiuæ caliditatis in humido. Nunc vero in alio textu, quem explicandum suscipimus Arist. eandem conclusionem probare intendens, sic loquitur.

(Et animalia fiunt in ijs, quæ putrescunt, propterea quod, quæ segregatur caliditas adhuc naturalis existens consistere facit segregata.) Hæc est potissima ratio, inquiunt Aluerniata, & Parmensis (referente Nipho in com.) quod putrefactio sit corruptio natiuæ caliditatis, quoniam, quæ putrescunt animalia generant: nimirum calor ille naturalis, qui à mixto putrescente euaporat adhuc naturalis existens animalia generat, animalia nempe imperfecta, cuiusmodi sunt vermes, muscæ, & similia ex putri materia proficiscentia. Adhuc igitur naturalis existens calor mixti putrescentis animalia generat. Vbi animaduertendum est quod dictio naturalis non intelligitur respectu mixti, hoc est adhuc naturalis existens calor in mixto, siquidem si

esset

esset calor mixto naturalis non putrefieret, sed adhuc naturalis existens calor intelligitur respectu animalis quod generatur.

Sed circa putrefactionẽ hoc loco Niphus in com. mouet dubitationem satis curiosam. Vtrum nempe putrefactio, & à qua vermes, muscæ, & alia animalia nascuntur, sit vna mutatio, an vero ad putrefactionem efficiendam plures mutationes requirantur? Siquidem Albertullus, vt refert idem Niphus in com. putrefactionem, inquit esse aggregatũ quoddam ex sex mutationibus, vel vnum motum ex sex mutationibus conflatum. Prima enim mutatio est extraneatio caloris innati ipsius mixti putrescentis facta à caliditate extrinseca, quia generatio mixti est naturalis proportio calidi innati, cum humido radicali, & calor naturalis est humido, vt forma, humidum vero inseruit calori vt materia, & ideo cum ex hac naturalitate, atque proportione extraneatur calor naturalis, tũc putrefactio accidit.

Secunda vero mutatio in putrefactione est quando humidum naturale rarefit à calore naturali extraneato, & à calore continente extraneantis.

Tertia mutatio est motus localis, quo humidum

midum rarefactum,& nõ amplius regulatum à calore naturali exalat exterius simul cum calido naturali corporis putrescentis.

Quarta mutatio est alteratio, qua partes corporis putrescentes exteriores humectantur,atque calefiunt in principio putrefactionis propter motum humidi cum calido naturali de centro ad circumferentiam.

Quinta mutatio est, qua partes intrinsecæ infrigidantur, atque exiccantur, calido & humido simul ad exteriora exalantibus.

Sexta denique mutatio est,qua forma corrumpitur substantialis mixti putrescentis, & aliquando generatio alterius formæ accidit substantialis, vt animalium recensitorum,cadaueris, & similium.

Quibus mutationibus posset etiam adiungi septima nempe resolutio vsque ad elementa; Vnde ex Arist. tandem terra,& fimus putrefacta remanent.Sex igitur vel septem mutationes est ipsa putrefactio, vel in putrefactione accidunt cum Albertullo.

Verum huic Albertullo Niphus superius allatus in com. textus maximè contrariatur. Nam hac eadem ratione alteratio, augmentatio, & generatio non vna mutatio essent, ac tamen vna, & non plures mutationes hæ commu-

communiter asseruntur. Quamuis igitur ad putredinem efficiendam plures concurrant operationes, vel mutationes, hæ tamen omnes respectu vltimi finis vna mutatio asserũtur; Sicuti, augmentatio, nutritio, generatio, & similes aliæ operationes animæ vegetatiuæ, nulli dubium est quòd plures mutationes numero sunt. si tamen considerentur respectu finis vltimati, qui est conseruatio, bonum indiuidui, & speciei, vnica tantum sunt operatio. Sic igitur plures mutationes particulares requiruntur ad putrefactionem perficiendam, omnes tamen vna solum mutatio sunt, si respectu finis vltimati considerentur.

Sed vlterius circa definitionem putrefactionis dubitandum occurrit, vtrum sub hac definitione Aristotelis omnis putrefactio cõprehendatur. An vero aliqua detur putrefactio, quæ sub illa minime contineatur? Nam Thomas Erastus duas voluit dari putredinis species, & vni tantum conuenire prædictam Aristot. definitionem. Videlicet putrefactio apud hunc Erastum vel est naturalis, vel violenta, naturalis putrefactio illa est, quæ ordine naturæ accidit, nempe corruptio formæ per resolutionem humidi factam ab ipsomet

calo-

calore innato, & hanc putrefactionem subiungit Erastus præcedunt senectus, & euansis; senectus nempe dicitur in animalibus, euansis, siue vetustas in alijs. Putrefactio vero violenta secundum eundem Erastum, illa est, quæ violenter accidit, cuiusmodi corruptio formæ est ab aliquo morbo, vt puta ex inflammatione, obstructione, & similibus. Atque hæc insuper putrefactio, putrefactio ad partes ex Arist. appellatur in hoc lib. 4. metheorologicorum superius. Definitionem vero Arist. inquit, deinde Erastus conuenire putrefactioni violentæ, nam hæc per corruptionẽ innati caloris accidit à calore extrinseco; Naturali vero hæc definitio Arist. non conuenit, sed alia fortasse, quam idem Arist. superius tradidit, per illa verba putrefactio finis est interitus naturalis mixti,

Sed hæc opinio circa definitionem putrefactionis maximopere à Mercenario reprobatur in suis dilucidationibus aduersus Erastum conciuem suum. Si enim Arist. naturalem putrefactionem ita intellexit, vt putat Erastus, plura verba fecisset. Nam sicuti agitur hic de generatione naturali, ita etiam ex eodem Arist. de putrefactione naturali agendum erat: ac tamen huius nullo modo meminit

minit in præſenti Ariſt., ſed ad illam ſe extendit perſcrutãdam putrefactionem, quam Eraſtus violentam appellat.

Iacobus Zabarella cum alijs communiter, vnam ſolum putrefactio eſt, inquit, quæ corruptio natiuæ caliditatis in humido ex Ariſt. definitur, atque ſub hac definitione omnis putrefactio comprehenditur, tam illa ſcilicet, quæ interitus naturalis mixti ex Ariſtot. dicitur, quam illa, quæ interitus ſecundum partẽ appellatur, ſiue ad partes putrefactio.

Pro intelligentia autem præſentis difficultatis diſcutiendum primo videtur quid intelligat Ariſtoteles in textu 5. allato per putrefactionem ad partes, vel ſecundum partem: nam de hac re varij varia loquuti fuere: nempe latini cõmuniter putrefactionem ad partes dixerunt ſolummodo elementorũ, atque tunc dici elementa ad partes putrefacta, quando à ſua natura, vel naturali ſtatu recedunt. Cuius opinionis fuit etiam Albertus, qui aſſeruit, quod quemadmodum mixta ſunt corpora perfecta, ita etiam perfectè putreſcunt, elementa vero quia ſimplicia corpora ſunt, & non perfecta ad partes, & imperfectè corrumpuntur, aut putreſcunt. Alij per putrefactionem ad partes intelligi

E volunt

volunt non corruptionem totius quantitatis mixti, ſed partis mixti. Buccaferreus denique omnem putrefactionẽ dixit eſſe ad partes non ſecundum totum, quia omnis putrefactio eſt corruptio ſecundum calidum, & humidum mixti, non vero ſecundum frigus, & ſiccum.

Quidquid tamen de doctorum ſententijs ſit, verior ſententia illorum eſſe videtur, qui aſſerunt putrefactionem ad partes illam eſſe, quæ non perfectè putrefactio eſt: Nam ſumma putrefactionis, eſt reſolutio mixti in elementa, itaut terra, & fimus tandẽ remaneant mixta ipſa, vt inquit Ariſt. Cum autem mixtũ corrumpitur abſque reſolutione ipſius in elementa, vel potius cum accidit corrũptio, antequam mixta perueniãt ad reſolutionem in elementa, tunc putrefactio ad partes appellatur. In putrefactione mixti ſuperius dicebatur, quod humidum ſeparatur à ſicco, & quod talis ſeparatio amplius celebratur per corruptionem naturalis caloris. Cum autem humidum nõ poteſt ſecundũ totum ſeparari tũc ſeparatio ad partes appellatur, aut ſecundum partem putrefactio. Vtitur Zabarella ad hoc idem probandũ exemplo aptiſſimo, eſtò inquit quod vinum putrefiat, cum verò vi-

num

num valde humidum ſit, non poteſt vniuerſa illa humiditas, quam in ſe continet tota, & ſimul ſeparari; Quare primum tenuiores partes ſegregantur, & hæc tenuiorum partium ſeparatio à craſſioribus, putrefactio ad partes dicitur, hoc eſt imperfecta putrefactio inquit Zabarella; qua eadem putrefactione humores in venis exiſtentes putrefiunt, aut alijs in locis: nimirum à calore extrinſeco fit eductio intrinſeci caloris ſimul cum humidi ſeparatione. Verum quia humores valde humidi ſunt totaliter expoliari nõ poſſunt humiditate, quare tenuiores humidi partes euaneſcunt ſiuè ſegregantur, atque putrefactio humorum ſequitur, ſiuè hac ratione putrefiunt humores. Poſſunt etiam humores habere perfectam putredinem, cum ſcilicet exareſcunt, atque incinerantur, vt dicitur, at de raro id accidit, vel accidere valet.

DISPVTATIO XII.

IN calce ſuperioris diſputationis examinauimus quid nam per putrefactionem ad partes intelligat Ariſt. & diximus hanc nihil eſſe aliud, quam imperfectam putrefactionem; idque præcipuè exemplo vini cum pu-

trefieri incipit, resoluuntur enim in putrefactione vini imperfecta partes humidi tenuiores, non tamen à substantia vini tota humiditas remouetur, & sic vinum ad partes dicitur putrefieri; quod si forte accidat, vt vini substantia vniuersa in elementa resoluatur, vt sanè accidere non est impossibile, tunc perfecta putrefactio est, cum ex Arist. terra, & fimus demum euadant quæcunque sunt putrefacta. Sed circa eandem putrefactionem ad partes, quæstio oritur non inutilis, & satis difficilis, vtrum hæc putrefactio sit cum interitu formæ substantialis, an vero solum sit alteratio quædam simplex, & mutatio solum in qualitatibus? Nam Thomas Erastus acriter contendit putrefactionem ad partes esse interitum ipsius formæ substantialis, idq. primum Arist. authoritate probare conatur, cum in cap. 2. huius 4. lib. Metheorologicorum hæc habeat, (quinimo propriè putrefactio dicitur in ijs, quæ secūdum partem corrumpuntur, cum separata fuerint à natura.) Vult igitur Arist. quod ea, quæ ad partes putrefiunt à natura etiam separantur. Cum ergo natura præcipuè dicatur forma substantialis, putrefactio ad partes cum interitu formæ substantialis omnino erit.

Præ-

Præterea idem Aristoteles ibidem putrefactionem ad partes corruptionem appellat: nomen vero corruptionis tribui solet ex Arist. corruptioni substantiali non accidentali. Igitur putrefactio ad partes est corruptio formæ substantialis.

Tertio alia verba Arist. in eodem loco hęc sunt, exeunte proprio calore euaporat quod secundum naturam est humidum, atque animalia generantur. Quæ verba destructionem formæ substantialis apertè indicant, iuxta illa eiusdem Arist. corruptio vnius generatio alterius, & è contra.

Ex altera vero parte communis opinio est putrefactionem ad partes esse simplicem alterationem, vt ex eodem Arist. colligi videtur, nam in contex. 13. lib. de ortu, & interitu, legitur quod generatio alia est simplex, alia est secundum partem. Vbi commentatores per generationem secundum partem, generationem secundum accidentia intelligũt. Ita igitur putrefactio secundum partem, vel ex parte corruptio accidentium est, non autem formæ substantialis; Contrariorum enim eadem est ratio, atque disciplina.

Amplius Arist. in principio huius 4. Metheor. si actiuæ, inquit, qualitates non domi-

nantur passiuis secundum partem quidem inquinatio,& inconcoctio fit, atque simplici generationi maximè opponitur putrefactio: Quid clarius? inconcoctio,& inquinatio maximè in accidentibus alterationes sunt,& per consequens talis est etiam putrefactio ad partes.

In hac sententiarũ contrarietate Iacobus Zabarella mediam viam sibi eligit,dum lib.2. de mixti generatione, & interitu cap. 16. asserit, quod in putrefactione ad partes potest accidere interitus formæ substantialis, & potest etiam non accidere,neque semper necesse est quod in hac putrefactione forma substantialis corrumpatur, quamquam interdũ maximè corrumpi valeat, & verè corrumpatur, vt accidit,exẽpli gratia, in vino,quod leuiter putrescendo, atque tenuiores partes amittendo putridum vinum ad partes efficitur, vt paulò ante dicebamus, quamquam alias forma eiusdem vini substantialis adhuc incorrupta permaneat. Interdum vero idem vinum potest magis, atque magis putrefieri, vt de facto putrefit, atque aliam formam acquirit,& acetum euadit, in quo casu forma substantialis vini maximè corrupta est, & tamen vinum, quod acetum euasit adhuc pu-

trefa-

trefactum ad partes intelligitur, cum per mutationem in aceti formam non requiratur vt in quatuor elementa prorsus resolutum sit, vt in perfecta putrefactione accidere solet. Hoc idem, quod de vino diximus potest etiã, & de humoribus intelligi, nam si pituita, exempli gratia, in aliquo loco conclusa calefieri incipiat, atque à sua natura recedat, sanè putrefacta ad partes pituita dicitur, quãquam pituitæ formam adhuc retineat. Aliàs verò pituita eadem substantialiter corrumpitur, atque aliam formam adipiscitur, & nihilominus putrefacta etiam ad partes dici potest, cum non adhuc in elementa sit resoluta, quod in simplici, & perfecta putrefactione requiritur. Putrefactio igitur ad partes, & cũ interitu formæ substantialis esse potest, & sine interitu, quamquam sine interitu vt plurimum. atque nihil aliud est propriè putrefactio ad partes, quam imperfecta putrefactio, & mutatio solum in accidentibus, vt præcipuè putrefactio humorum est; Et cum homines, exempli gratia, febre tertiana, quartana, vel quotidiana tenentur, humores à quibus febres fiunt, vt plurimum ad calorem alterati sunt absque formæ substantialis corruptione (nisi fortasse febres eædem sint de-

genere malignantium, atque cacœtarum, in quo casu etiam putrefactio cum formæ substantialis interitu contingere potest, vt in febribus pestiferis, atque pestilentibus interdum obseruatur) Putrefacti vero dicuntur, hoc est putrefactione ad partes, & imperfecta siue in fieri, quia perrarum est humores in viuentibus adeò putrefieri, vt vsque in elementa etiam resoluantur, atque frigidi, & sicci tandem, & veluti terra, & fimus euadant, vt Arist. ait. Neque obstat quod à Medicis interdum humores incineriti, vel cineritij dicantur, nam id impropriè intelligendum est, & quia adeo exiccati interdum humores sunt vt propè cineris naturam præ se ferant, non autem quia propriè, & verè humores in febricitantibus perfectè cinis euadant, atque in elementa per putrefactionem resoluantur. Essent modo soluenda Erasti argumenta affirmantis semper in putrefactione ad partes corrumpi formam substantialem. Sicuti aliorum asserentium putrefactionem ad partes nihil aliud esse, nisi simplicem alterationem, nam, vt inquit Zabarella, vtrumque accidere potest, atque vtraque sententia aliquo modo vera est. Quare omissis hinc inde argumentationibus huic duodecimæ disputationi

ni finem imponentes ad decimam tertiam accedamus.

DISPVTATIO XIII.

IN cap.2.lib.4.Metheorolog.ex Arist. putrefactio definitur esse corruptio natiuæ caliditatis in vnoquoque humido ab externa caliditate. Dictio autem corruptio græcè φθορα legitur, quam dictionem Rabbi Moyses 27.aph. ex sententia Galeni apud veteres ait significare quamcunque motionem ad deterius, siuè sit perfecta, siuè imperfecta, aut secundum quid mutatio. Vnde alibi Gal. nempe initio comm. 1. in lib. 6. epid. φθορα abortū interpretatur, scilicet imperfecti fœtus eiectionem. Amplius idē Gal.in principio lib.de marcore φθορα duplex est inquit, vna quæ fit, altera vero, quæ facta est, imperfecta scilicet, vel perfecta corruptio, in fieri, vel in facto esse. Quæritur ergo quando putrefactio dicitur corruptio in definitione Aristot. de qua corruptione intelligatur, an scilicet de corruptione in fieri, an vero de corruptione in facto esse. Nam Hieronymus Mercurialis lib. 5. cap. 8. agens de febribus, conceptis verbis negat putrefactionem esse

corru-

corruptionem perfectam,& in facto esse, sed corruptionem in fieri,quia scilicet corruptio natiui caloris ex Arist.definitur.Calor autem natiuus sanguis,semen,& spiritus sunt iuxta Gal.doctrinam lib.de semine,& alibi; sed sic est quod dum mixta putrefiunt, nunquam hæc omnia perfectè corrumpuntur; quare neque putrefactio perfecta corruptio mixti est, sed in fieri, ideoque apud nonnullos φθορα dictio hæc cum articulo legitur, nempè ἡ φθορα, hoc est quædam corruptio putrefactio est. Et profectò secundum Medicinæ fundamenta Mercurialis non malè loquitur, cum mixta à Medicis considerata de raro perfectè putrefiant, & rarò humores in viuentibus adeò putrefacti sunt, vt ad incinerationem deueniant, atque elementorum resolutionem. Vndè putrefactio, quæ à Medicis consideratur est putrefactio præcipuè ad partes, nempe secundum quid, & imperfecta,non vero perfecta,& integra. Nihilominus dicerem quod sub definitione Arist. non modo imperfecta, sed perfecta quoque, & integra putrefactio comprehenditur, vt verba textus declarant definitionem subsequentia, nempe cinis, & fimus putrefacta mixta remanent postremo,cum quibus non solum,
imper-

imperfecta indicatur, sed perfecta etiam putrefactio.

Neque obstat quod ex Hieronymo Mercuriali obijciebatur, scilicet naturalis calor sunt sanguis semen, & spiritus, vnde cum hæc omnia non corrumpantur in mixto putrescente, non potest putrefactio esse, aut dici corruptio perfecta, non valet inquam huiusmodi argumentatio; quia & si apud Medicos calor naturalis in his tribus contineatur, nempe spiritu, & semine Patris, atque sanguine Matris, nihilominus animaduertendum est, quod Medici dum hoc asserunt, sumunt calorem subiectiuè, nimirũ sanguis, semen, & spiritus sunt calor naturalis, quia generatio viuentis mixti, primo fit ex calore, qui in semine, & spiritu seminis Patris reperitur, nec non ex calore, qui subiectatur in sanguine Matris. Sanguis inquam, semen, & spiritus amplius sunt calor naturalis, hoc est ille calor, qui primo ingreditur generationem mixti viuentis, est calor seminis, spiritus, seminis, & sanguinis Matris, quia calor seminis, atque spiritus seminis concurrit vt forma, & veluti agens in generatione viuentis, inquit Turisanus in artem paruam Galeni, sanguis vero Matris, vt materia. Phylosophi-

cè

cè autem loquendo calor non vt substantia ; sed vt qualitas consideratur, & calor, vt calor est apud omnes Phylosophos semper est qualitas. Ad argumentum itaque Mercurialis hæc omnia non corrumpuntur perfectè, dum mixta putrescunt, scilicet sanguis, semẽ, & spiritus, ergo putrefactio nũquam est perfecta corruptio, negatur totum argumentũ, quia si corrumpantur hæc omnia perfectè putrefactio perfecta accidit, sicuti si imperfectè imperfecta, atque perfectè corrumpi posse mixta superius declarauimus. Quare non de imperfecta solum putrefactione est definitio Arist. verum etiam de perfecta.

Circa eandem vero putrefactionem, occurrit etiam dubitare, vtrum quælibet putrefactio cum fœtore sit, atque fœtorem semper comitem habeat? Nimirum huius sententiæ, inter recentiores fuit præcipuè Fernelius 2. de abdit. rerum causis cap. 10. quem Hieronym. Mercurialis deindè valde increpat lib. 5. de febrib. c. 8. duplex enim, inquiẽs, est putrefactio, nempè naturalis, atque morbosa, siue violenta. Naturalis est illa, quæ simplici generationi contrariatur, & in hoc nũquam fœtor accidit, vt in ijs apparet, qui morte naturali intereunt, vt senes sunt, atque

alij

alij in decrepita senectute constituti; violenlentam vero putrefactionem illam esse, ait idem Mercurialis, quæ non ordine naturæ accidit, sed morbosè, atque per accidens, & hanc quoque propriam esse putrefactionem. Quod si insuper hæc vltima putrefactio magna sit semper est cum fœtore, si autem leuis, & non magna, putrescentia minimè fœtent.

Pro hac vero quęstione melius decernenda ad principia recurrendum est, odor fumosa euaporatio est, inquit Arist. lib. de sẽsu, & sensili cap. 2. vnde etiam Theophrastus lib. 6. de causis plantarum cap. 22. odor, inquit, est humoris ficcioris, atque tenuioris, ideo insipida, & dulcia minus olent, quoniam plus crassi humoris in se habent; Si ergo in separatione, quæ accidit in mixto, quando putrefit, illa, quæ separantur sint prædominio humoris crassi & malè olentis, in putrefactione vtique fœtor superuenit: si autem sint in prædominio humoris subtilis, atque benè olentis, è contra suauis odor accidit non fœtor in putrefactione. Vnde fungi interdum dum putrefiunt magis benè olent, quam antea, quoniam scilicet ficciores, tenuiores, atque benè olentes partes tunc temporis ab ijsdem resol-

ſoluuntur: moſcus etiam inter benè olentia eſt eadem ratione. eſt autē Moſcus nil aliud, quam corruptus ſanguis cuiuſdam animalis Gazzale appellati. Quare non ſemper in putrefactione adeſt fœtor, & quando amplius adeſt, id non accidit in facto eſſe putrefactionis, ſed in fieri. Vndè pus benè concoctum non fœtet, vt inquiunt Medici, quoniam in fine putrefactionis reperitur, non autem in fieri, & cum ſeparatio humorum fit.

DISPVTATIO XIV.

DIſputatio hæc erit potius medica, quam phyloſophica, ſiquidem ſuperius de putrefactione in generali loquuti ſumus, nunc vero agemus de putrefactione in particulari, & de putrefactione in ordine ad corpora noſtra, & ex qua febres præcipuè naſcuntur. Tria enim apud Medicos communiter ſunt febrium genera, ſicuti ex Gal. 1. de diff. febrium cap. 1. tria etiam ſunt quæ noſtrum corpus conſtituunt, continentia ſcilicet, cōtenta, atque impetum facientia, nempè partes humores, atque ſpiritus, in ſpiritibns accenditur febris ephimera, in partibus hectica, in humoribus humoralis, aut febris illa,

quæ

quæ mediante putredine etiam generatur. Videlicet ex putrefactione bilis, exempli gratia, accenditur febris illa putrida, quam tertianam Medici appellant secundum communem etiam sententiam, ex putrefactione pituitæ quotidiana, sicuti ex putrefactione melancoliæ quartana, aut ex putrefactione sanguinis putrida synochus appellata. Cum ergò hæ febres putridæ ex putrefactione humorum oriantur, quæstio examinanda etiam nascitur, quæ nam sint causæ putrefactionis in ijsdem humoribus, à quibus deinde febres fiunt.

Et quidem ex Arist. in phys. causæ omniū rerum quatuor sunt, materialis, efficiens, formalis, atque finalis. Omissa formali causa putredinis vtpotè nota, nec non etiam finali. Causa materialis in humoribus nulla est alia, nisi quod humidum in ijsdem reperitur, nam iuxta Arist. definitionem, putrefactio corruptio est natiui caloris in vnoquoque humido, siue id humidum non naturale sit, siue alimentale, siue excrementitium.

Sed quæ nam est amplius causa efficiens putrefactionis in humoribus? Mercurialis sanè circà hanc definitionem rectè phylosophatur, nempè lib. 5. cap. 8. cum de febribus.

causam

causam efficientem putredinis nullam aliam esse inquit præter aerem, idque pluribus etiã modis probare conatur, nempè auctoritate Arist. primo cum putrefactionem asserit esse corruptionem natiui caloris ab externo calore,& nomine caloris externi,hic à nonnullis ambientis calor intelligitur. Secundo Hippocr. in lib. de flatibus omnes morbi à flatibus, inquit, scilicet ab Aere legit Mercurialis. Quare aer est ille, qui primo in humoribus putrefactionem inducit, ex qua deinde cunctæ febres putridæ appellatæ enascuntur. Verum dicet aliquis Galen. 1. de causis morb. cap. 2. videtur referre omnem putredinem in pharmaca putrescentia, in excrementa, nec non in prohibitam transpirationem. alibi vero nempè 3. epid. com. 3. tex. 1. tres causas putredinis adducit, vt putà calorem extremum, humiditatem,& immobilitatem. Ergo aer non est causa putredinis, vt vult Mercurialis.

Sanè opinio Hieronymi Mercurialis defendi optime potest, quia etsi aer solus non sit causa putredinis, tamen potest dici mediũ vniuersale putrefactionis, cum vel aër, vel quid aëreum sit, quod veluti instrumentum putrefactionem molitur, siue caloris natiui

corru-

corruptionem: atque pharmaca putrefacienti a, excrementa, prohibita transpiratio, vel alia huiusmodi in febribus putrefactionem non moliuntur, nisi per aerem, aut quid aëreũ. Ideoq. aer,cũ Mercuriali causa efficiens cuiuscunque putrefactionis affirmari potest.

Hoc autem supposito, nempè aerem putrefactionis causam esse,quæret nunc studiosus aliquis in quo nam loco putrefactio ista fiat, nam aliqui putrefactionem humorum fieri inquiũt ex aere intra venas. Alij ab aere intra venas,& extra. Alij denique negant in venis putrefactionem vllam fieri. Et inter hos ex neotericis recensetur Ioubertus in paradoxis, & ex antiquis nonnulli referuntur ab Alex.Trall.lib.12.cap.2. Ratio autem quod intra venas non putrefiant humores, vt volunt hi doctores est,quia animalia,idest vermes exempli gratia, aut his similia, intra venas non generantur, nec generata reperiuntur, & tamen animalia putrefactionem maximè sequuntur. Præterea Ioubertus ait in loco proprio res minimè corrumpuntur, sed extra. Vnde aqua maris in mari vtique incorrupta conseruatur,extra vero corrumpi valet,& de facto putrefit. Ita igitur humores intra venas, inque suis proprijs locis pu-

 trefie-

trefieri non possunt. Andreas Cesalpinus lib. 2. artis medicæ putrefactionem humorum intra venas semper fieri docet, & à venis deinde putrefactos ad alias partes transmitti. Alij alia dixerunt. Sed communis opinio est, & ex Hipp. præsertim 3. de morb. vulg. tex. 21. cum Gal. etiam in com. 2. dicti libri, quod humores intra, & extra venas putrefieri valeāt; sique putrefiant intra venas, oriantur febres continuæ cum eodem Gal. si vero extra, & in carnoso genere nascantur intermittentes.

Neque obstant, quæ ex aduerso superius afferebantur. Nam animalia etiam intra venas generari posse refert Schenchius in suis obseruationibus medicinalibus lib. 2. nec insuper animalia sicuti vermes sunt, exempli gratia, quamcunque putredinem sequuntur. Vnde si animalia non generantur intrà venas, ergò humores putrefacti intra venas nō sunt, argumentatio minimè valet, nam & millies accidit putrefactiones fieri absque animalium generatione.

Nihil etiam corrumpi potest in loco proprio, & naturali, si de totali corruptione intelligatur estò, ad partes autē negatur. Nam in loco proprio, & naturali, secundū partem, maris etiā aqua corrūpi, vel putrefieri valet.

Humo-

Humorum itaque putrefactio intrà venas, & extrà celebrari potest, atque causa efficiens vniuersalis cuiuscunque putrefactionis aer ambiens est, cum Doctissimo Mercuriali; aut si Mercurialem in hac re sequi nolimus, cum sententia communiori, dicemus pro externa caliditate intelligi posse etiam quemcumque calorem extra illud quod putrefit existentē, siue in aere idem calor reperiatur; siuè in humore, aut etiam aliqua alia substantia solidiori, vt in superioribus affirmabamus.

DISPVTATIO XV.

ADhuc de putrefactione agentes in præsenti disputatione discutiemus vtrum Medici cum Arist. circa illam conueniant, nam Zabarella contendit non idem intellexisse Aristotelem putrefactionis dictione, quod Medici intelligunt, cum diuerso etiam modo putrefactio ex Aristot. definiatur, atque ex Galen. Putrefactio enim corruptio natiui caloris in vnoquoque humido ab externa caliditate ex Aristot. definitur. Gal. autem ij meth. 8. putrefactio, ait, mutatio est totius substantiæ putrescentis ad corruptionem ab externa caliditate, & huius sententiæ

nimirum quod Aristot. & Gal.circa putrefactionem differant, fuit etiam Argenterius Medicus in lib.artis paruæ Gal.

Quidquid tamen Zabarella, & Argenterius dicant, ex Hieronymo Mercuriali communis opinio est dictione putrefactionis idẽ intellexisse Arist. quod Medici intelligunt, quia Medici precipuè non putrefactionem perfectam dictione eiusdem putrefactionis intelligunt,sed imperfectam, atque ad partes de qua etiam Arist. agit, vt in superioribus diximus. sed quid opus est alijs rationibus, perpendamus verba vtriusque definitionis, Arist. & Galeni.

Putrefactio, inquit Arist. est corruptio, Gal. autem mutatio ad corruptionem, qui sanè loquendi modi minimè differunt. Alterum verbum definit. Arist.erat natiuæ caliditatis, Gal. autem totius substantiæ putrescentis, nimirum, quia natiua caliditate corrupta, etiam substantia mixti corrumpatur necesse est. Tertiò ab externa caliditate, inquit Arist. & eodem modo Gal. loquutus fuit. Quarè Gal. & Arist. circà putrefactionem non differunt, quinimò idem Gal. 2. de diff.feb.9. Arist.definitionem summis laudibus extulit. Vna solum differentia est inter

Gal.

Gal. definitionẽ, atque Arist. nẽpè quod Gal. putrefactionem definit per effectus. Aristot. autem per causas; aut etiam differunt hæ duæ definitiones inter se ex eo, quia Arist. definitio omnem putrefactionem sub se comprehendit. Gal. autem illam solum sub se continet, quæ ad partes est.

Sed dices contrà Mercurialem πνιγος hoc est suffocatio latinè est mutatio ad corruptionem, & tamen nõ est putrefactio, ευανσις quoquè idest vetustas est etiam mutatio corruptionem, καυσις exustio pariter mutatio est ad corruptionem, & tamen hi modi corruptionis ad putrefactionem reduci non possunt, quare putrefactio Arist. non est eadem cum putrefactione Gal.

Respondetur, quod verba subsequentia Gal. in definitione declarant Arist. ab ipso nõ differre, nam mutatio ad corruptionẽ inquit Gal. à calore externo, à quo vetustas, & suffocatio corruptionis species allatæ non fiunt. Quare Gal. definitio ab ea Arist. non differt.

Sed antequam sermonem de putrefactione absoluamus, cum sæpe in præteritis disputationibus vti simus exemplo aceti, quod vinum putrefactum à plurimis dicitur, statui declarare modum generationis eiusdem ace-

ti, atque etiam vtrum acetum verè sit vinum putrefactum nec ne? Vinum, vt docet Gal. lib. de simplicibus med. constat ex quatuor partibus, nempe fœce, quæ fundum petit, flore, qui in summo residet, parte etiam aquosa cum vniuerso vino commixta, & denique substantia ipsius vini: quæ quidem vini partes similitudinem referunt quatuor elementorum, vt idem in sanguine quoque experitur, in lacte, & alijs similibus. Cum autem, inquit ibidem Gal. substantia illa aquosa, quæ est tertia vini pars cum parte caloris naturalis resoluitur à calore ambientis, tũc putrefactio accidit, & vinũ acetum efficitur, & hinc est quod acetum frigidum est, & siccum, nimirum quia vinum acetum factum partem naturalis caloris amisit cum illa humiditate aquosa. Et quod acetum ita efficiatur colligitur ab experientia, nam solaribus radijs vino exposito acetum statim fit, quia videlicet ex Solis ardore pars caloris naturalis euaporat, atque aquosa illa humiditas secundum partem resoluitur.

Sed vtrum, dicet aliquis, huiusmodi resolutio, atque vini in acetum transmutatio propriè putrefactio appellari possit? Pro resolutione huius dubitationis sciendum est cum

Gal.

Gal.4.de ſimpl.dicto, & poſt ipſum cum Alberto, duos naturales calores dari in vnoquoque viuente; atque duas pariter naturales humiditates. Calores autem ſunt hi,nempe calor elementaris, & calor vitalis. Calor elementaris ille eſt; qui primo mixtioni inſeruit, ſiue mixtionem ingreditur, dum primo viuens mixtum efficitur: Calor vero vitalis eſt ille,qui vitæ inſeruit,atque hic acquiritur à mixto, non vt mixtum eſt, ſed quatenus viuens eſt. Vtor exemplo vt rem hanc melius explicem. Semen cum generatur,pro ſua mixtione, ſiue generatione indiget calore, qui ſuas obtineat qualitates paſſiuas, vt in ſuperioribus diximus, hic vero calor qui primo ingreditur ſeminis generationem elemẽtaris appellatur. Secundo ſemen habet alium calorem à generante cum quo viuit, atque aliud generat, & hic ſecundus calor vitalis appelllatur, & modo augetur, modo minuitur. neque differt à calore elementari, vt calor eſt,ſed tempore,& quatenus diuerſa principia habet, & tale quid etiam accidit in lumine,dato enim vno lumine,ſi aliud addatur augetur primum lumen, non tamen duo lumina ſunt, ſed dicuntur interdum duo lumina; quoniam ex diuerſis principijs oriuntur.

Vel certè diuersi dicuntur hi duo calores, nempe elementaris, atque vitalis, quatenus vnus vni inseruit operationi, alius vero alteri. Quemadmodum vero duo dantur calores naturales. ita etiam duæ sunt naturales humiditates, elementaris videlicet, atque vitalis. Humiditas elementaris est illa, quæ primo ingreditur mixti generationem, quam etiam humiditatem Albertus continuantem appellat. Alia vero humiditas vitalis dicitur, qua viuens nutritur, quæque ad vitam mixti viuentis peragendam concurrit.

His vero sic positis, tametsi vinum non sit viuens, nihilominus duo etiam calores in eo assignari possunt, atque duæ etiam humiditates: nempe calor naturalis vini elementaris est ille, qui primo generationem eiusdem vini ingreditur. Calor vero vitalis est ille, quem à suo generante habuit, & quo generans viuens nutriebatur. Humiditas etiam elementaris vini est illa, quæ primo ingreditur vini generationem. Humiditas vero vitalis est illa pars aquosior, quæ in vino reperitur. Cum ergo in vino à calore externo tollitur calor viuens, atque humor vitalis, siue aquosior, tũc vinum acetum euadit, vt dicebamus, idest vinum siccius, atque frigidus, vnde acetum

postea

postea vim refrigerandi, & exiccandi quoque habet.

Vtrum vero acetum vinum putrefactum appellari posit? Sanè putrefactio ex Arist. est corruptio natiuæ caliditatis, scilicet caloris naturalis elementaris(nam putrefactio est propria mixti vt mixtum est) & euaporatio humidi radicalis. Cum autem in vino, dum acetum euadit, non corrumpatur calor elementaris sed vitalis, vt ita dicam neque huque humor elementaris, siue humiditas continuans, sicuti Albertus ait, sed humor ille, qui in vino acescente resoluitur sit humor aquosior. Ideo transmutatio vini in acetum propriè putrefactio appellari non potest, sed impropriè, atque similitudinariè, & quatenus cum vinum acetum euadit, aliqua caliditas corrumpitur, non autem quia vinum realiter putrefiat acetum euadendo, nam potius corrumpitur, & propriè corruptio appellari potest vini in acetum trausmutatio, non vero putrefactio. Galenus ibidē refert quosdam appellasse acetum vinum mortuum, & profectò non sine ratione, cum in transmutatione vini in acetum corrumpatur calor vini vitalis, atque humiditas etiam vitalis, quare similitudinariè loquendo acetum vtique

vinũ mortuum appellari poteſt, ſicuti etiam à nonnullis impropriè appellatur vinum putrefactum, & hæc de aceto ſufficiant. In ſequenti aggrediemur concoctionis tractationem.

DISPVTATIO XVI.

QVid igitur eſt generatio, & quid corruptio dictum eſt. Reliquum eſt autem dicere contiguas ſpecies quaſcunque dictæ virtutes operantur ex ſubiectis natura conſtantibus iam.) Hæc ſunt prima verba tertij cap.4. metheorolog. Propoſuerat Ariſt. in principio huius libri tractare de effectibus quatuor qualitatum, quatenus in mixto ſunt, nempe de effectibus caloris, frigoris, ſiccitatis, atque humiditatis, cumque loquutus fuerit in præcedentibus de generatione, atque putrefactione, quæ ſunt effectus, ſiue operationes quatuor qualitatum dictarum, atque declaraſſet, quid ſint, quoue modo fiant generatio, & putrefactio. Sequitur deinde agere de effectibus conſequentibus ad eandem generationem, atque putrefactionem, quique ab ijſdem dependent qualitatibus elementorum, præſertim vero actiuis, & ſubdit.

dit. Est itaque calidi concoctio, siue digestio. Idem enim concoctionis nomine, & digestionis intelligitur, apud Arist. & hoc vtrumque græca dictione πέπσις comprehendit. Est inquam calidi effectus πέπσις concoctio latinè dicta. Concoctio autem est triplex subiungit deinde Arist. nempe maturatio, elixatio, assatio, græcè πέπσις, siue πέπανσις ἕψησις ὄπτησις. Cum autem calidi effectus sit concoctio in mixtis, ergo effectus frigidi est ἀπεψία græcè dicta, hoc est inconcoctio per eundem Arist. quæ similiter triplex est, nẽpe cruditas inquinatio tostio ὠμότης μόλυνσις στάτευσις: cruditas nimirũ, siue immaturitas cõtrariatur maturationi, coinquinatio elixationi, tostio assationi.

Præterea coctio inquit Arist. est perfectio à naturali; & proprio calore ex oppositis pafsiuis; hæc autem sunt propria vnicuique materiæ. Postea quam declarauit alios effectus primarum qualitatẽ esse concoctionem, atque cruditatem; se transfert ad definitionem; aut descriptionem concoctionis, concoctio inquiens est perfectio à naturali; & proprio calore ex oppositis passiuis. Et quod concoctio sit perfectio probat tali pacto. Concoctum est perfectum, atque factum, ergo concoctio est perfectio, vel factio rei, &

quod

quod concoctum sit perfectum patet ex eo, quia antequam id, quod concoquitur concoctum sit, imperfectum est, atque crudum, cum verò concoctum est, perfectum quoque erit, ergo concoctio maximè perfectio est.

Sed quid est perfectio quæret aliquis? Nihil aliud respondetur, nisi vltimus, atque supremus gradus perfectionis, ad quem perueniri potest, & vltra quem mixtum in diminutionem tendit. Cuiusmodi homo, exempli gratia, dicitur perfectus, atque maturus quando peruenit ad virilitatem, antea vero imperfectus erat. Ficus dicitur perfecta, quando ad illum peruenit supremum gradum, in quo cibus esse potest. Itaque concoctum siue maturum nihil est aliud, nisi aliquid perfectum esse in sua specie, atque propterea concoctio perfectio rei est secundum Aristotelem.

Contra hanc vero definitionē plures Philosophorum, atque Medicorum insurgunt, & inter cęteros Argenterius com. 3. artis paruæ Galeni hanc definitionem Aristot. nimis communem esse dicens: nam etiam generatio perfectio est à naturali calore passiuas qualitates obtinēte, & tamen generatio propriè non est concoctio. Præterea sub hac definitione non comprehenduntur omnes aliæ

con-

concoctiones, siquidem assatio & elixatio à proprio calore minime fiunt, sed ab externo. Vnde nonnulli alij aliàs etiam concoctionis definitiones excogitarunt, nempe Auic. concoctionem adæquationem substantiæ esse dixit, quæ ad facilem obedit euacuationem. Iulius Delphinus concoctionem, inquit, esse reductionem caloris ad temperamentum. Manardus in epistolis, quoniam quæ concoquuntur tria sunt, nempe alimenta, putridi humores, vel non putridi, propterea etiam tres excogitauit definitiones. Videlicet concoctio alimenti est alteratio, in qua alimentum ei quod alterat omnino assimilatur. Concoctio humoris putridi est alteratio, quæ putredinem cessare facit. Concoctio humoris non putridi, est alteratio, quæ materiam, quæ concoquitur assimilare magis facit. Fernelius in lib. quem scripsit de purgandi ratione. Concoctio, inquit, est substantiæ mutatio facta à calore in naturæ conuenientem statũ. Alij ex Auctoribus aliter conctionem definiunt. Sed Argenterij sententia in prædicto loco Galenus omnium optimè concoctionis quid est explanauit, non quidem in omnibus locis, vbi coctionis mentionem habuit, sed præcipue 8. de composit. med. secundum lo-

cos cap.de hepatis affectionibus, vbi concoctio inquit est alteratio,quæ eo vsque procedit, donec in similitudinem partis,quod concoquitur sit transmutatum. Vbi etiam habetur quomodo differat concoctio à nutritione; Nam concoctio est assimilatio, nutritio vero est vnio eius, quod assimilatum est. Et hæc definitio, inquit Argenterius,communis est omnibus concoctionibus. Scilicet concoctioni, quæ in ventriculo celebratur in iecore, & alijs partibus, concoctioni puris, humorum, vel similium. Cuncta siquidem hæc dum concoquuntur, alterantur ad similitudinem partis illius vbi concoquuntur, in calore scilicet, odore, vel alijs similibus qualitatibus,naturam partis vbi concoctio fit, quę concoqui dicimus adipiscuntur, siue à calore intrinseco fiat siue extrinseco.

Sed contra hanc Gal.definitionem concoctionis, sic dicet aliquis: si concoctio est alteratio,quæ eousque durat, donec in similitudinem partis,quod concoquitur sit transmutatum, ergò supposito partem aliquam esse putridam, vel in fieri corruptionis,si alimentum,quod concoquitur,aut aliquid aliud ibidem existens assimilatur parti, sequitur quod concoctio sit putrefactio, vel corruptio rei;

Nam

Nam pars concoquens corrupta, non potest dici agere, nisi secundum suam essentiam: Non video igitur quomodo concoctio sit sẽper alteratio facta à parte, donec quod concoquitur sibi assimiletur; nam putrefactio eadem ratione accidit, & corruptio interdum putrefactio esset, vt nonnulli etiam veterum Auctorum asserebant, ex Gal. tamen reiecti 3. de symph. caus. 1. Quare ad tollendas quascunque difficultates ex allatis duabus concoctionis definitionibus Gal. scilicet, & Arist. vnam sic ego componerem perfectiorem, atque magis adęquatam definitionem videlicet, Concoctio est alteratio ad esse perfectius quæ eo vsque procedit, donec illud quod concoquitur in similitudinem partis concoquentis transmutatum sit.

DISPVTATIO XVII.

IN præcedenti disputatione cum Aristotele, & Gal. concoctio definiebatur alteratio ad esse perfectius, quæ eo vsque durat, donec illud, quod cõcoquitur in similitudinem partis concoquentis transmutatum sit. Cum autem concoctio alteratio sit, quæret aliquis in præsenti quid nam illud est quod altera-

tur,

tur, & concoquitur? Et breuiter huic petitioni satisfaciendo illud, quod propriè concoquitur alimentum est, alimentum verò est illa materia, quæ nutrit, vel in substantiam nutriti cõuerti solet: Et hæc materia amplius vel actu nutrit atque alimentum actu dicitur, vel potentia nutrit, & alimentum quoque potentia appellatur. Actu nutrit inquam alimentum, cum in nutriti substantiam transmutatum est, potentia vero nutrit, & alimẽtum potentia dicitur, quod in substantiam eiusdem nutriti conuerti potest. Est præterea alimentum proximum, remotum remotissimum. Proximum alimentum materia illa dicitur, quæ parum distat à substantia nutriti, vt secundæ humiditates, exempli gratia, sũt, prima scilicet humiditas ros, cambiũ, gluten. Alimentum vero postea remotum sanguis, & alij humores sunt, qui in iecore, & venis reperiuntur. Denique alimentum remotissimum est illud, quod in ventriculo reperitur. Hæc itaque sunt, quæ propriè concoquuntur, atque alimenta propriè appellantur. Impropriè vero, aut minus propriè plura alia concoqui asseruntur, cuiusmodi humores præternaturam sunt, morbi, excrementa, vel alia his similia. Vnde Hipp. in aph. lib. 1.

con-

contex. 22. Concocta medicare, inquit, atque mouere, & quæ sequuntur.

Sed omissis in præsenti quæ impropriè cõcoquuntur, de alimento in præsenti disputatione agemus, de quo etiam concoctio propriè dicitur. Cum igitur alimentum triplex sit, nempe remotum proximum, atque remotissimum, etiam triplex est concoctio, proxima, remota, atque remotissima, quæ etiam concoctiones à Medicis prima, secunda, & tertia concoctio appellantur; atque tertia concoctio, vt dicebamus in parte qualibet substantiæ corporis celebratur, secunda in hepate,& venis,prima vero in ventriculo, & intestinis: Non enim attritio illa alimenti, quæ in ore celebratur concoctio est, vt falsò nonnulli sibi persuaserunt, sed potius præparatio ad concoctionem.

Prima igitur,secunda,atque tertia alimenti concoctiones sunt. Circa quam conclusionem dubitatur apud Medicos, nedum Phylosophos, cum in qualibet concoctione errores fieri maximè valeant, vt inferius explicabo,vtrum errores,qui in prima concoctione committuntur, in secunda emendari possint, sicuti etiam errores secundæ in tertia? Et quidem fuit id semper in magna contro-

uersia: nihilominus breuiter huic dubitationi cum distinctione responderem. Nimirum concoctio dicebatur superius ex Arist. esse perfectio à naturali, & proprio calore. Hæc autem perfectio per generationem nouę substantiæ celebratur, vnde chilus in ventriculo aliam formam habet, quam cibus in ore habebat. Sanguis, & alij humores in iecore, & venis aliam quoque formam habent à chilo, & sic prima humiditas ros, cambium, & gluten alterius formæ sũt à sanguine, & alijs humoribus. Quare si error commissus in prima concoctione, exempli gratia, intelligatur quoad formam substantialem, ego sum in sententia quod in secunda concoctione superari, & corrigi non valeat, cum diuersam facultatem formatricem habeat ventriculus à iecore, & venis: sicuti è contra aliam habeant facultatem formatricem iecur, & venæ, quam ventriculus. Si autem errores dicti coctionũ intelligantur quoad qualitates cùm primas, tùm etiam secundas, sanè errores primæ coctionis in secunda corrigi possunt, sicuti etiã secundæ in tertia. Nimirum quia si chilus ob ventriculi imbecillitatem frigidior generetur, aut valde liquidus, & aquosus exempli gratia, sane in iecore calidioris, atque siccioris

tem-

temperamenti, calidior quoque & maioris consistentiæ euadet, & sic de alijs similibus erroribus. Quare qualitatiuè loquendo errores primæ concoctionis in secunda emendari possunt, sicuti secundæ in tertia. Possunt inquam emendari huiusmodi errores tùm à natura ex se operante, tùm etiam arte medica coadiuuante.

Sed quomodo prædicti errores cõcoctionum cognoscentur, fortasse vlterius quæret aliquis? Respondetur quod rectum est regula sui, & obliqui ex Arist. quare signa bonæ concoctionis quicunque calluerit, erit etiam sufficiens ad cognitionem errorum in qualibet concoctione commissorum.

Et incipiendo à concoctione vltima, cognoscitur vltima concoctio ab excrementis suis peculiaribus, nam excrementa quælibet constitutionem partis indicant, atque statum facultatis agentis, cum Gal. 1. de morb. vulg. com. 2. Excrementum vero tertiæ concoctionis primo illud est quod per habitum emittitur, quod sane obscurum est; nihilominus saltem quoad olfactum suauis esse debet, non ingratus. Quare quicunque habitus odore ingratus erit, errorem in tertia concoctione indicabit.

Secundum excrementum tertiæ conctio-nis est magis euidens, atque sudor appella-tur. Sudor vero potest considerari quoad quātitatem, vel quoad qualitatem. Et quoad quantitatem sudor mediocris esse debet; ideo-que si multus sudor adsit, vel paucus in vlti-ma cōcoctione aliquis etiam error sit. Quoad qualitatem verò consideratur sudor, aut se-cundum primas, aut iuxta secundas. Secun-dum primas sudor neque valde calidus, ne-que valde frigidus esse debet, sed mediocris. frigidus enim imperfectam concoctionem si-gnificat: calidus vero adustionem. Iuxta se-cundas autem qualitates sudor salsi saporis esse debet cum Gal. 1. de sanitate tuenda c. 2. cum paruo amarore, colorisque pallidi, sit etiam boni odoris. Nam si hæc non habeat sudor, error sanè in tertia concoctione com-mittitur. Et hæc quoad tertiam conctionem satis sint.

Nunc vero sequuntur signa indicantia er-rores, qui in secunda, & prima concoctione fiunt; Et quidem secunda concoctio in ieco-re celebratur, quod duas habet partes, nempe concauam, & gibbam. Concauæ igitur con-coctio ex ijs demonstratur, quæ per aluum excernuntur; nam si hæc benè exeant bona

con-

concoctio indicatur, si verò male, mala: à iecoris vero concaua parte recipit alui excrementum vnam, vel duas solummodo conditiones. Prima est color subrufus, quia ex cōcaua hepatis parte canalis quidam ducitur vsque ad intestina, per quem bilis portio transmittitur, tanquam enim subrufa bilis eundem quoque excrementis alui communicat calorem, sicuti etiam veluti acris intestina eadem vellicat eorundem facultatem expultricem excitat, & sic excrementa ab intestinis fluunt, vel expelluntur. Cum vero in his duabus conditionibus excrementa alui deficiunt, signum est quod etiam facultas concoctrix concauæ partis hepatis delinquit, ac deficit, nempe si non subrufa sint, arguunt imbecillitatem caloris, & cruditatem, si valde rufa è contra excessum caloris, atque tostionem. Si præterea vix, aut facile excernantur, & non sunt rufi coloris, sed potius dealbata, pariter indigestionem significant; sicuti valde rufæ duriores, atque siccæ alui feces calidam iecoris intemperiem significant.

Altera pars hepatis vt dicebatur gibba est, cuius excrementum per vasa vrinalia οὐρητῆρες græcè appellata transmittitur, atque ab omnibus vrina appellatur. Errores autem

secundæ concoctionis gibbæ partis hepatis cognoscuntur ex eadem vrina,quæ secundũ, quod recesserit à qualitatibus suis naturalibus,maiorem, aut minorem errorem secundæ coctionis indicabit. Vrinæ ergo indicia desumuntur à quantitate, à qualitate, à substantia,& alijs in ipsa contentis. A qualitate autem sumendo indicium vrina correspondere debet quantitati assumpti potus. Vnde Hipp. 3. epid. Vrinæ, inquit, de quibus febricitantibus, multæ quidem erant non pró ingenti potius ratione,sed multum excedentes. Quare si vrinæ vel multæ,vel paucæ erũt pro potus ingenti ratione, sanè peccatum aliquod erit etiam in secunda coctione in gibba parte hepatis celebrata.

A qualitate vero sumendo indicium, vrinæ bonitas desumitur ex duobus præcipuè, nempe odore, & colore, & quoad odorem haud fœtens sit, sed naturali potius odore prædita. Quoad colorem vero palearis, vel aurei coloris sit vrina. Nam alias, vel alio colore prædita errorem aliquem in gibba hepatis parte commissum indicat.

Tertio vrina consideratur quoad substantiam. atque substantia vrinæ illa perfecta dicitur,quæ media est inter crassam,& tenuem.

Crassæ

Crassæ etenim, atque tenues vrinæ ex Hipp. in progn. maximè improbantur.

Denique vrina consideratur, quoad contentum, cuius loca sunt, summum medium, vel imum. In summo quidem vrinæ contentum existens dicitur νεφέλην græcè, latinè vero nubecula: In medio ἐναιώρημα, siue suspensum. In fundo ὑπόστασις, vel sedimentum latinè. In totum vero nubecula suspensum, & hypostasis, alba esse debent leuia, & æqualia cum Hipp. in progn. Quod si ab his conditionibus eadem contenta recedant, errores etiam secundæ coctionis in gibba parte hepatis celebratæ demonstrabunt. Et hæc quoad secũdam coctionem satis sint.

Verum circa præassertas contenti appellationes νεφέλης ἐναιωρήματος, atque ὑπόστασις Hippocraticæ doctrinæ studiosus dubitabit fortasse ex eodem Hipp. Vtrum hæc nomina inter se differant, an idem prorsus significent, atque præsertim ἐναιώρημα, & νεφέλης, siue nubecula, atque suspensum latinè. Nimirum quia Hippoc. in aphor. & lib.progn. nunquam vsus fuit dictione ἐναιωρήματος, siue suspensi, in epid. vero sæpè ἐναιώρημα, siue suspensum legitur, nunquam vero νεφέλης, siue nubecula, atque id nulla quidem alia ra-

tione, nisi quoniam hæc duo nomina idem significant, vt Gal. etiam docet 2. progn. cõtex. 26. & 29. sed de hac nominum appellatione quidquid dicatur parum refert, & alibi si rectè memini de hac re sermonem habui.

Prima concoctio, vt dicebamus in ventriculo celebratur, cognoscitur autem eiusdem perfectio ab excrementis, siue fœcibus, quæ per aluum excernuntur, atque cum Paulo Aegineta lib.2. cap.3. excretio alui naturalis est cum mollis apparet cohærens leuiter russa simul, & conuenienter spissa, non nimis fœtida, madens, quæ nec strideat, crebro, & paulatim excernatur, atque æqualis sit, necnon formosa, suisque temporibus postremò respondeat. Quod si ab his conditionibus alui fœces recedant malæ quidem erunt. atque errores primæ concoctionis in ventriculo, & intestinis celebratæ demonstrabunt.

DISPVTATIO XVIII.

ABsoluta alimenti concoctione, quæ propriè concoctio est, de alijs impropriè dictis, nunc est agendum. Et primo cũ etiam de humoribus concoctio dicatur, quæri potest qui nam humores coquendi sunt. Ioannes

nes Manardus lib. 13. epid. med. 1. & 5. cum alijs quamplurimis illud solū concoqui posse, ait, quod post cōcoctionem vim nutriendi habet, vt inter humores sanguis, & pituita dulcis sunt. Sinceri vero humores bilis vtraque, humores putridi serum pituita acida, & salsa concoctionem haud admittunt. Vnde errant Medici, vt ipse addit, qui in purgationibus prædictorum humorum cōcoctionem expectant, idque sic probat. Illud est concoquendum, quod est crudum, cruentum, & acerbum. Sed bilis, exempli gratia, non potest dici cruda, cum sit nimis assata, ergo bilis concoqui non valet.

Secundo concoctio habet pro fine nutritionem, nutritio autem fit cum sanguine, sed bilis non potest amplius redire ad formam sanguinis, cum à corruptione ad habitum non detur regressus; ergo bilis concoqui non potest.

Insuper natura prius concoquit, deinde separat, & postea excernit. Bilis autem, exēpli gratia, iam est separata; ergo amplius cōcoquenda non est, sed expellenda.

Verum ex altera parte Gal. Auic. & tota Medicorum scola tenent, non solum sanguinem, atque pituitam dulcem, sed omnes humores

mores concoqui posse. Vnde passim in curatione morborum serapia decoctiones aquæ stillatitiæ, iura alterata & alia his similia propinantur, pro bilis, atque melancholiæ concoquendis humoribus. Et omissis multis rationibus, ex quibus clarissimè probari posset, quod humores dicti, etiam putridi humores concoqui possunt: colligitur id manifestissimè ex definitione concoctionis superius tradita: nempè concoctio est perfectio, quæ eo vsque durat, donec illud, quod concoquitur in similitudinem partis concoquentis transmutatum sit. Sed in bile vtraque, in humoribus etiam putrefactis adhuc aliquid adest, quod in similitudinem partis concoquentis transmutari potest; ergo etiam bilis putridique humores concoqui possunt.

Ad primum argumentum, quod in contrarium afferebatur; illud concoqui debet quod crudum est, conceditur. Sed bilis non est cruda, sed assata negatur: Nam Gal. in 2. de victu acut. bilem flauam crudam esse inquit. Vel dicitur quod bilis est concocta in prima, & secunda concoctione, non autem in tertia. Vel denique respondetur quod bilis naturalis est concocta, non autem putrida.

Secun-

Secundo quod est separatum post concoctionem expellendum est; sed bilis est separata, ergo expellenda non concoquenda est. Respondeo, quod bilis tametsi separata, semper tamẽ secum retinet aliquam cruditatem, & præterea sanguis tametsi concoctus, atque separatus in secunda concoctione, nihilhominus, dum inflammatur aliam concoctionem postulat, quia scilicet ob putredinem dissimilis factus est, ita igitur de bile asserendum. Vel, & melius fortasse, bilis separata, & naturalis non debet concoqui, quia hæc vt naturalis cum sanguine nutrit, putrida vero concoqui debet ad hoc vt coctione separãdo aliquod iuuatiuum, quod in bile etiam putrida esse potest, eadem natuta fruatur, mediante nutritione, excrementosum vero expellatur.

Tertio natura in concoctione pro fine habet nutritionem, arguebatur; Negatiuè autem ad hanc propositionẽ respondetur; nam vt inquit Gal. 2. de naturali facultate, calor per se calefacit, per accidẽs verò concoquit, digerit, agglutinat.

Quarto natura prius concoquit, deinde separat, & postea excernit estò. Sed bilis est separata, ergo excernenda. Respondetur bilem

autem alteratio perfectiua separatione boni à malo fit, vnde postea excrementa remanent: Excrementa vero in concoctione naturali à natura euacuantur, atque ad sua emissaria transmittuntur. Idem quoque ordo seruandus est in concoctione ab arte facta, alterans pharmacum, nempe exhibendum est, à quo putrefactus, humor separetur, scilicet quod separet humoris partem corruptam à bona, eandemque ad propriam temperiem reducat, qua facta deinde separatione, quod remanet excrementum purganti pharmaco mediante expurgandum est. Atque ita humores putrefacti maximè cõcoquendi sunt, quinimo hi præcipuè, cum in se excrementa retineant, quæ coctione separanda sunt, quod de imputribus humoribus affirmari nõ potest, qui iam cocti nutritione absque vlla alia coctione præcedente inseruire valent, vt supra indicabamus.

Cum igitur putrefacti humores concoquendi sint, siue hi bilis sint, siue melancholia, aut pituita, reliquum est nunc vt de ijs agamus, quæ eorundem concoctionem adiuuant, inter quæ primum locum syrupi tenent communi Medicorum sententia; Est vero syrupus dictio græca deducta ex *σιπὸς*, hoc est

succus,

succus, & συρῶ quod traho significat, nimirum quia succus tractus syrupi sunt, aut ex aliquo succo tracti conficiuntur. His quidem syrupis vt docet Manardus lib. 13. epist. med. 13. græci nunquam vsi sunt. Quare eosdem ex Arabibus Medicis venisse putandum est, & ab annis circiter tercentis, vsque in hanc diem vsitati fuere: sunt etiam in vsu hodie, & pro concoctione humorum prosequenda passim exhibentur. Quæritur ergo nunc vtrũ syrupi id agere valeant? Drusianus, vt refert Monardus ibidem, hanc concoquendi vim habere inquit solummodo syrupos, qui refrigerantes, exiccantesque sunt. Nam cum his duabus qualitatibus putrefactioni obuiamitur, & Arist. in hoc eodem lib. 4. metheorolog. superius, & quæ frigida sunt, atque sicca inquit putrefieri non possunt. Huic vero Drusiani opinioni Manardus contrariatur, atque calidos, & humidos syrupos potius esse aptos ad concoctionem ait, quam frigidos, & siccos, cum calidi, atque humidi simul syrupi radicali humido magis assimilentur, illudque foueant. Cui etiam sententiæ ego libenter subscribo, & assero calidos, atque humidos syrupos primario, & per se humores putrefactos concoquere per accidens vero,

atque

atque secundario, etiam frigidos, atque siccos syrupos ad idem valere; per accidens inquam, ideſt quatenus frigidi, ſiccique ſyrupi calorem prẹter naturalem humorum putrefactorum arcent eundemque ad naturalem reducunt.

Syrupi igitur calidi, & humidi præcipuè, ſiue alia his ſimilia pharmaca propinanda ſunt ægris pro concoctione humorum putrefactorum, quibus deinde concoctis (iuxta communem interpretationem aphor. 22. 1. lib. Hipp.) purgantia pharmaca exhibere oportet. Exhibere autem oportet purgantia pharmaca, non quidem pro concoctis humoribus expurgandis, vt ſupra indicabamus, ſed pro excrementis eorundem humorum: Excrementa nimirum illa, quæ in concoctione humorum ſegregata fuere purganti pharmaco expurgare oportet, non autem humores, iam concoctos, qui in ſubſtantiam nutriti conuerti debent.

Concoctio vlterius, vel eſt perfecta, vel imperfecta, & manifeſta. Quæret ergo aliquis in præſenti vtrum pro purgatione facienda ſit expectanda perfecta concoctio humorum, an vero ſatis ſit imperfecta, & manifeſta? Nonnulli aſſeruerũt ſatis eſſe ad purgandum

gandum quod humores sint imperfectè concocti. idque primum ex Hipp. doctrina colligunt, nam 4. de rat. victus in morbis acutis contex. 43. vbi legitur, quod si vrinæ in principio nebulosæ, & crassæ sunt, hos si reliqua annuant, purgare oportet, quia cum Gal. 1. de crysibus cap. 17. crassities in vrina coctionis est signum, nubecula manifestæ, & si non perfectæ. Igitur cum Hipp. etiam non perfecta concoctione humorum purgãdum est. Additur huic Hipp. testimonio, quod humores non concoquuntur statim, & simul omnes, quare excrementa partis concoctæ purgare oportet non perfecta totius humoris concoctione.

Ex aduerso facit idem Hipp. 22. 1. aph. superius allato, vbi concocta medicare inquit non vero semicocta. Et præterea medicus debet imitari naturam rectè operantem. Sed natura euacuat humores iam perfectè concoctos; ergo concoctio perfecta est expectanda, non autem imperfecta satis est.

Vallesius Controuers. Medic. & Philos. 14. hanc quæstionem ita decernit. In morbis acutis, nisi turgeant, aut vrgeant succi, perfecta concoctio expectanda est, quoniam, & ipsa natura in his morbis post perfectas con-

coctio-

coctiones solet crises perfectas efficere, quæ præcedentibus purgationibus impedirentur. In longis vero morbis etiam legitimè operanti licet expurgare cum concoctione manifesta: quoniam in hoc morbo neque ipsa natura reseruat ad vnicam iudicialem euacuationem succos, & his morbis longis raro vna expurgatio est satis, sed commodum est paulatim expurgari, vt coquitur.

Ego autem addo, quod exemplum medicamẽti exhibendi, aut purgationis celebrandæ sumendum est à natura ipsa, quæ mouet in omni tempore, in augmento scilicet, in principio, in statu, in declinatione dum concoxit, in fine, post finem denique si aliquid concocti humoris excrementum remanserit: atque ita purgare licet humoribus iam semicoctis existentibus, perfectè coctis, manifestè coctis, prout scilicet turgentia adest naturæ ad mouendum, humorum copia, eorumdemque crassities, vel tenuitas, aut alia his similia. Sed de purgatione in ordine ad concoctionem humorum alibi etiam differuimus, præcipuè iuxta sententiam aph. 22. 1. lib. Hipp. nempè in resp. ad Prosperum Martianum.

DISPVTATIO XIX.

DEclarauimus superius causam materialem cuiuscunque concoctionis, nunc sequitur vt de causa efficiente disquiramus. Et quidem concoctio ex Arist. perfectio est à naturali, & proprio calore ex oppositis passiuis. Circa quam definitionem Argenterius in com. 3. artis paruæ Gal. videtur redarguere Aristotelem, non calor inquiens concoctionis est causa principalis, sed facultas animæ concoctrix appellata: Nam struthiocamelus, exempli gratia, ferrum concoquit, sicuti perdix auis lapillos, quòd tamen nullum aliud animal præstare potest, etiamsi æquali, aut maiore calore præditum sit. Cibus in chilum permutatur, atque similis à natura fit substantiæ ventriculi, non autem à calore, & sic de alijs multis dici potest: calor vero instrumentum est, atque vt animæ instrumentum ad actionem concurrit, non autem principali actione. In qua re Argenterium falsum asserere sanè non dicerem, sed tamen neque iure Aristotelem, atque Galenũ reprehendit, dum concoctionem à naturali, & proprio calore fieri affirmant: siquidem dictio

dictio illa à naturali, formam indicat & sub eadem dictione etiam Arist. formam intellexit. Quare in aliquibus exemplaribus, non à naturali, sed à natura legitur: scilicet concoctio est perfectio à natura, & proprio calore, hoc est à forma, & proprio calore celebratur.

Sed quid intelligitur per proprium calorem dicet aliquis? Cõmunis est opinio quod proprius calor insitus sit, atque parti concoquenti innatus; hic enim principaliter concoctiones efficit, quamquam secũdario etiam influens, etiam aduentitius interdum ad eandem concoctionem concurrant.

Contra hanc vero opinionem est Vallesius in commentario proprio huius definitionis qui asseruit non à calore partis concoquentis, sed à calore proprio ipsius alimenti concoctionem fieri; atque per illam dictionem à proprio calore, calorem proprium alimenti intelligendum esse. Et hanc sententiam Valles. præcipuè, cum eodem Aristot. probare conatur, qui paulo inferius (tunc enim inquit res concocta dicitur, cum naturalis calor materiam, atque humorem domuit) sed materiam edomat naturalis calor, atque proprius ipsius materiei: ergò natura-

lis calor atque proprius alimenti est ille, qui concoquit: Proprius enim calor pomi concoquit pomum, vt experientia patet, quamquam ab externo etiam iuuetur. Ergo etiam cibus in ventriculo inquit Vall. proprio ipsius calore concoquitur, etiamsi possit iuuari à calore ventriculi. Mustum inquit idem in vini formam suo calore permutatur, atque concoquitur, fructus, qui immaturi interdum leguntur, conseruati tamen maturantur, etiam absque calore arboris. ergo à proprio ipsorum calore. Succus denique ex oliuis expressus calore proprio euadit oleum. Quare concoctio à proprio calore principaliter fit, iuuatur vero à calore partis concoquentis.

Neque obstat inquit Vall. quod Arist. in fine tertij capitis huius lib: 4. metheorol. cibi concoctionem in ventriculo animalis elixationi similem esse dixerit; elixatio autem fit à calore elixantis: nam elixatio non est propriè concoctio, sed actio composita ex liquatione, & concoctione: atque concoctio in ventriculo non est propriè concoctio, sed liquatio, & coctio simul; quinimo magis eliquatio, quam concoctio, atque vt eliquatio celebratur à calore ventriculi, vt vero con-

coctio

coctio à calore ipsius cibi . Neque obstat etiam subiungit, quod calor naturalis alimenti ageret sui corruptionem, & substantiæ, in qua reperitur, cum tamen naturalis caloris proprietas sit conseruare substantiam suam; nam id est verum per se loquendo, sed per accidens id agit calor proprius alimenti, idest gratia substantiæ melioris adipiscendæ.

Profectò Vallesij sententia pulcherrima est, atque clarissimi viri ingenij acumen demonstrat, summamque philosophiam, sed tamen non caret multis difficultatibus; nam si calor naturalis vt paulò ante dicebatur habet id proprium vt cõseruet suum mixtum, dum ergo aget mixti eiusdẽ corruptionem, nõ erit amplius naturalis, neque id aget tanquam naturalis, sed à naturali statu remotus, & separatus. Non ergo de calore proprio alimenti intelligi potest dictio illa definitionis (est perfectio à naturali, & proprio calore) Nam proprius calor est calor naturalis, cibi autem calor si efficiat sui corruptionem, non potest dici naturalis; ac proinde, neque dictio illa à naturali calore, de calore alimenti intelligi potest. Declarauimus etiam in superioribus cum de putrefactione, à quo nimirum calore putrefactio fiat, num scilicet

proprius calor ad eandem concurrat, & diximus, quod vt naturalis nequaquam concurrit, sed vt auctus, & præternaturalis factus, principaliter vero fieri putrefactionem à calore extrinseco; ita ergo etiam concoctio principaliter, atque tanquam ex instrumento principali à calore proprio concoquentis partis celebratur, concurrit autem calor etiam alimenti, sed secundario, neque vt naturalis, sed præternaturalis, atque auctus.

Ad argumenta vero, quæ Vallesius afferebat ex dictis facile respõdetur, nempe quando Arist. dixit calorem naturalem domare, atque materiam concoquere, intellexit de calore extrinseco, & partis concoquentis. Mustum præterea vinum euadit, non ex calore vini, sed à calore vitis, vt enim alibi diximus, vinum quodammodo habet duos calores, calorem scilicet innatum, qui ingreditur mixti generationem, & alium calorem, quem à vite participauit: Ita etiam fructus immaturi collecti concoquuntur à calore arboris eisdem fructibus communicato, dum in eadem arbore erant; non autem à calore naturali fructuum eorundem. Siquidem calor innatus conseruat, non corrumpit mixtum,

tum, in quo reperitur, & sic de alijs dicendum est.

DISPVTATIO XX.

IN præcedenti disputatione examinabatur efficiens causa concoctionis, atque cum Arist. dicebamus causam principalem esse facultatem animæ concoctricem, instrumentalem vero esse calorem innatum, atque proprium concoquentis partis, & causam secundariam esse calorem alimenti à statu naturali recedentem, post hunc influentem, aduentitium, & extrinsecum.

Sed hi calores (nunc queret aliquis) in quo gradu esse debent pro concoctione facienda? Nam Argenterius comm. 3. artis paruæ Gal. in omni fere gradu concoctiones à calore celebrari posse docet. Et pro hac sententia potest fortasse citari Gal. qui lib. 14. de vsu partium, eum calorem, qui à temperato recedit, atque debilior est aliquantulum temperato etiam ad cõcoctionem idoneum esse ait, vt concoctio lactis in mammis, atque concoctio alimenti in cerebro ostendunt. & in lib. 4. de simpl. med. idem Gal. maturationem fructuum fieri inquit à calore inter-

no eorundem, atque externo solis. calor vero solis non modo temperatus, sed feruentissimus est, atque siccus; Quare quicunque sit calor, & cuiuscunque gradus ad concoctionem aptus esse valet, licet à temperato concoctio melior fiat, magisque temperata, & in lib. 1. de alimentis, biliosi inquit idem Gal. melius concoquunt carnes bubalinas temperatis. ergo calor in quocunque gradu concoctionem efficere potest, secundum subiectam materiam, atque iuxta positas dispositiones.

Verum dicet studiosus, si calor in quolibet gradu potest esse causa concoctionis, cur ergo Arist. in præsenti lib. 4. metheorolog. & Gal. super aph. 14. 1. lib. Hipp. dicunt quod halituosus, atque temperatus calor est ille, qui concoctiones molitur?

Resp. quod cum Aristot. atque Gal. concoctionem à mediocri calore fieri asseruerũt, non de omni concoctione in genere erat ipsis sermo, sed de illa concoctione intellexerunt, quæ aliorum omnium est regula, atque in materia temperata, & æqua fit, quæque temperatum, mediocrem, æquumque calorem requirit, sicut de temperamentis asseritur: Temperamentum enim quatuor qualitatum

tatum in quolibet gradu eorundem temperamentum esse potest, sed tamen temperamentum illud magis temperatum esse dicitur, ad cuius mensuram omnia alia temperamenta dicuntur, nempe temperamentum ἐύκρατον siue àd pondus appellatum. Igitur, & concoctio vera, atque magis temperata, & iusta à calore mediocri, siue temperato efficitur; possunt tamen aliæ fieri concoctiones à calore in pluribus, atque alijs gradibus existente, vt audiuistis.

Cum autem calor in quolibet gradu concoctionis causa esse possit, vlterius quæritur vtrum etiam calor præternaturalis eandem moliri valeat? nam Gal. super aph.70.5.lib. Hipp. vbi legitur quod dum pus fit dolores, & febres fiunt, asserit quod etiam calor febrilis puris concoctionem adiuuat. Profecto perficere est opus naturæ, non rei præternaturam. quare naturalis calor per se, atque principaliter concoctionem efficit, per accidens vero etiam febrilis, atque præternaturalis cōcoctionem adiuuare potest; vt exempli gratia, si quod concoqui debet in loco frigido reperiatur, in eo inquam casu calor febrilis per accidens, & secundario concoctioni prodesse potest, non autem per se, at-

que

que principaliter. & hæc quoad causas concoctionis, sequitur modo vt agamus de fine.

Atque in superioribus concoctionem definientes, dicebamus quod concoctio sit perfectio, quæ eo vsque durat, donec illud quod concoquitur in similitudinem partis concoquentis transmutatum sit. Quare finis concoctionis vltimatus est transmutatio alimenti in substantiam ipsius mixti, quod idem est dicere, atque nutritio: Vnde Arist. finem concoctionis in aliquibus esse naturam inquit, & veluti formam, atque essententiam, nempe facultas concoctrix nihil aliud in sua operatione intendit, quam transmutare id, quod concoquitur in naturam, formam, atque essentiam mixti.

Verum contrà hanc conclusionem sic fortasse insurget aliquis, Gal. 1. de diff. feb. cap. 6. cum natura, inquit, euincit putredinem, fitque pus in phlegmone, vel humor in vrinis subsidens, pus, & humor non absolutè putrida sunt, sed vim concoctionis obtinent; pure autem, & vrinarum humore non nutritur viuentis substantia: ergo concoctio non semper nutritionem intendit, siue alimenti in substantiam nutriti assimilationem.

Ex Arist. etiam 4. metheorol. 7. concocta non

non nunquam dicuntur lacrymę sordes oculorum, vrinæ, alui excrementa, & his similia, & nulla alia ratione inquit Auerr. in comm. nisi quia euincuntur, atque ad expultionem apta fiunt, nam huiusmodi talia sunt, vt nullam partem habeant, cum qua in substantiam illius transire possint, quod concoquit.

Insuper Alex. 3. natutali. quæst. 14. concoctio inquit est perfectio acquisita in passiuis oppositis à proprio calore, distinguitur autem ratione finium, quædam enim concoctionum est causa nutritionis, quædam vero euictionis, vt in tuberculis, & excrementis: quare non semper concoctio est causa nutritionis. Et Auic. 1. primi doctrina 6. cap. 3. nutritiua inquit potentia varias exercet operationes; nam in ijs quæ superflua sunt conatur primo eadem in substantiam nutriti transmutare, si possibile fuerit, sin minus facile expulsioni præparare.

Auerr. præterea supra allatus, vel concoctio, inquit, est nocitiui, vel iuuatiui, concoctio iuuatiui respicit nutritionem, nocitiui expulsionem.

Et denique natura agit ad finē proprium non imaginarium: proprius autem finis noxij humoris est expulsio, non nutritio; Quare

re nec etiam nutritionis causa cōcoctio semper est siue alimenti transmutationis in substantiam illius, quod nutritur.

Sed his omnibus non obstantibus verissimum est concoctionem semper habere pro fine supradictam alimenti transmutationem siue nutritionem, nam præterquam quod satis superque id superius probatum fuit, colligitur etiam ex definitione concoctionis à Gal. tradita 8. de med. comp. 5. loc. cap. 8. cum ait, concoctionem mutationem esse, qua aliquid in id quod nutritur per continuam assimilationem transfertur; quod idem quoque Card. docet lib. 1. contr. med. tract. 6. cap. 12. & alij.

Non obstant autem, quæ superius in contrarium afferebantur, & primo tametsi pus, & alia excrementa concoquantur, neque ijsdem corpus nutriatur, nihilominus respondetur quod concoctio, siue potius facultas concoctrix concoquendo primo, & principaliter nutritionem intendit, secundario vero expulsionem; & secūdum partem bonam, siue iuuatiuam, quæ in abscessu reperitur nutritur corpus; quæ vero pars abscessus nocitiua est in pus segregatur. Pus ergo est excrementum concoctionis in abscessu genito.

Excrementa enim amplius non concoquuntur, cum separata sunt, dicuntur vero concocta, vel cruda, quatenus concoctionis signa sunt, aut cruditatis, per se autem semper concocta sunt, siue à concoctione separata. Atque concoctio puris præsertim cum Gal. 2. aphor. 47. est actio mixta, scilicet mediũ quid inter putredinem, & concoctionem: nam secundum partem caloris naturalis est concoctio, secundum partem caloris præternaturalis est putrefactio. dicitur autem magis concoctio quam putrefactio, quoniam calor naturalis in abscessu concocto magis dominatur, quam in crudo, vel non concocto.

Sed cum de concoctione puris hic mentio inciderit, cur dicet aliquis, quando pus concoquitur album, leue, & æquale semper fit? etiam in quacunque parte corporis, etiamsi in iecore ganeretur pus album leue, & æquale cum Hipp. esse debeat? In alijs etenim concoctionibus id nunquam, vel raro accidit, scilicet quæ concoquuntur alimenta similia semper euadunt parti concoquenti: vnde propterea cibus in ventriculo albus euadit, in iecore chilus rubicundus efficitur, lac in mammis album, & sic de alijs; pus vero vbique & semper colore album efficitur;

cur

cur ergo id accidat nunc quæritur?

Respondetur quod concoctio puris celebratur à duplici calore, nempe à calore naturali prædominante, & à calore præternaturali; naturalis autem vincens, atque præternaturalis calores inter se maximè contrariantur: quarè in vnum agentes idemque pus, colorem album efficiunt. ita docet Cardanus lib. 1. contradit. med. tract. 6. cap. 12. est nempè proprietas dictorum calorum in vnum idemque subiectum agentium illud in colorem album transmutare; sicuti exempli gratia eiusdem caloris cum humido etiam proprietas est efficere omnes plantas in folijs virides. in alijs vero concoctionibus naturalibus, siue rei iuuatiuæ, quæ concoquuntur, semper parti concoquenti similia efficiuntur, quia concoctio hæc naturalis à calore solum naturali, & proprio celebratur.

Verum cum partes viuentis aliæ similes sint, aliæ vero dissimiles, quæritur etiam à quibusnam propriè, & principaliter concoctio fiat? fuit communis opinio concoctionem fieri à partibus spermaticis, ideoque alba sunt vt plurimum, quæ concoquuntur, quoniam scilicet spermaticæ partes eodem pariter colore præditæ sint. At Card. ibidem

hanc

hanc propositionem negat, & non albas, sed rubei coloris easdem partes spermaticas esse dicit, vt in venis, & arterijs id conspicuum est; siuè autem albæ sint, siuè rubeæ partes spermaticæ, verisimile tamen est concoctionem à partibus spermaticis præcipuè fieri, vt ego existimo, quia in his primum calor innatus subiectatur, & inest, qui est causa immediata, atque principalis omnium concoctionum, vt superius dicebatur.

DISPVTATIO XXI.

ADhuc sumus circa concoctionem, & ex Arist. si meministis concoctio est perfectio à naturali, & proprio calore. & quod sit perfectio probauit, ex eo quia quod concoquitur, antequam concoquatur est imperfectum, posteà quam coctum est perfectum quoque apparet. Sed cum concoctio sit perfectio, quæri potest, quæ nam perfectio sit & quam nam perfectionem acquirant, quę concoquuntur? nam possunt acquirere perfectionem tum in substantia, tum etiam in qualitate. Huic dubitationi tacitè respondens Arist. cap. 3. finis autem, inquit, his quidem natura est, natura autem, quam dicimus,

mus, vt formam, & substantiam. His autem in subiectam quandam formam finis est concoctionis,cum tale fiat,& tantum humidum, aut assetur, aut elixetur, aut putrefiat, aut alio quodam modo calefiat, tunc enim vtile est,& concoctum esse dicimus.) Nempè per concoctionem vult dicere Arist. non nulla diuersam naturam adipiscuntur, perfectiorem scilicet formam speciem, & essentiam. Alia vero per concoctionem non speciem diuersam, diuersamue naturam acquirunt, sed subiectam quandam formam, idest modum quendam meliorem substantiæ adipiscuntur. Primi generis exempla omisit Arist. in præsenti,quæ enim per concoctionem diuersam naturam acquirunt sunt præcipuè naturales rerum ortus, de quibus in primo lib. satis superque agitur,sicuti etiam ad maiorem intelligentiam per concoctionem sibi nouam substantiam acquirit sanguis,cum caro euadit, chylus cum in sanguinem transmutatur, & sic de alijs. Secundi verò generis exempla adducit Arist. quando ait,his autem in subiectam quandam formam finis est concoctionis, cum tale fiat,& tantum humidum, scilicet cum humidum (hoc est illud quod concoquitur, quod semper humidum

sit necesse est) à calore naturali tale, ac tantum fit, videlicèt in qualitate, vel quantitate perficitur quod concoquitur: tunc enim vtile est, atque concoctum esse dicimus, sicuti mustum,& quæ in tuberculis constant cum factũ fuerit pus: Nimirùm quæ concoquuntur interdum nouam perfectionẽ adipiscuntur in quantitate, vel qualitate, cuiusmodi mustum cum euadit vinum, perfectionem in qualitate adipiscitur; siue etiam abscessus, exempli gratia,qui dum concoquitur pus acquirit, siue materia illa, quæ est intra abscessum concoctione mediante melioris qualitatis euadit, atque vtilis etiam efficitur; nempe quia expulsioni apta redditur,& viuenti vtilis quoquo pacto etiam efficitur: & quamquam ex hac concoctione non subsequatur noua forma substantialis, siuè noua natura, nihilominus etiam concoctio appellatur ex Arist. hoc est concoctio imperfecta, vel impropria ex Gal. etiam 2. acut. com. text.44. atque alijs communiter medicis: illa vero concoctio, quæ est ad nouam substantiam propriè concoctio appellatur, & est vera, & perfecta.

Sed de his concoctionis differentijs quidquid sit aut concoctionum finibus, oritur

circa eadem verba Arist. superius allata alia dubitatio, quomodo concoctio per putrefactionem fieri possit (& siue per assationem, siue per elixationem, siue per putredinem quod concoquitur calefiat) vt sunt verba Arist. in contextu. Finis enim concoctionis perfectio est, putrefactionis autem imperfectio, atque destructio, quare per putrefactionem concoctio fieri non potest.

Suessanus in commentario per putrefactionem interdum concoctionem celebrari docet, vt cum animalia, exempli gratia ex materia putrescente nascuntur. Sed generatio vermis accidit in coctione perfecta, dicet aliquis cōtra Suessanum, & concoctio ad animalia est concoctio ad nouam substantiam, siue naturam: hic autem Arist. quando ait per putredinem concoctionem fieri, de concoctione imperfecta loquitur, siue de maiori perfectione in qualitate, aut quantitate solum; sicuti ostendunt exempla musti, puris, & lacrymarum, nam lacryma cū lema euadit est eadem lacryma exiccata, & mustum cū fit vinum est idem mustum tenuioris substantię, & abscessus denique, siue materia, quæ intra abscessum reperitur, dū pus euadit, est eadem materia putrefacta, sed crassior ab alijs mate-

rijs separata,atque expulsioni aptior reddita.

Quid igitur in præsenti Aristot. intelligit, quando asserit imperfectam concoctionem, siue perfectionem in solis qualitatibus, aut quantitate per putrefactionem mixta interdum acquirere?& quomodo imperfecta concoctio per putredinem celebratur? Dicerem quod fit per putredinem imperfecta concoctio, quando non nulla putrefactione mediante qualitatem aliquam,siue quantitatem acquirunt,cum qua vtilia viuentibus esse valeant, sicuti in abscessibus, putrescendo, pus efficitur, hoc est materia eadem abscessuum in puris qualitatem transmutatur, atque sic expulsioni apta redditur.

Sed vtrum pus in abscessibus,exempli gratia fiat per putrefactionem,an verò per concoctionem? Arabes non nulli, atque primæ etiam classis, asseruerunt generationem puris fieri per putrefactionem, & concoctionem simul, neque id repugnare, cum hi duo motus inter se contrarij non sint, sed solum quodāmodo oppositi. Materiam insuper abscessuum dicunt in principio magis putrefactam esse, quam concoctam, in fine autem magis concoctam, quam putrefactam. Vallesius autem in com. præsentis textus, nec

non 5. contr. med. & philosoph. cum Gal. etiam fortasse 2. aphor.47. neque concoctionem, neque putredinem dixit esse puris generationem, sed potius medium quendam motum inter concoctionem,& putredinem; sicuti, exempli gratia, inter motus sursum, atque deorsum, medius motus per transuersum datur, qui neque est sursum, neque deorsum: Ita cum pus fiat ex duobus caloribus simul mixtis, naturali, atque putredinoso, hi duo calores simul mixti vnum quoque medium efficiunt motum, qui neque concoctio est, neque putrefactio.

Ego autem huic petitioni breuiter satisfaciendo, dicerem pus in abscessibus per concoctionem fieri, quæ intendit assimilare materiam putrefactam, atque in substantiam transmutare, cum verò id agere non valeat, pus vtpote noxium quid, non verò materia iuuatiua viuenti, segregat, secernit, atque expulsioni præparat; quam præparationem Arist. hic concoctionem imperfectam appellat. Vnde pus imperfectè etiam concoquitur, sicuti vrinæ, & alia excrementa imperfectè concoqui asseruntur, videlicet in suo esse qualitatiuo perficiuntur, non autem nouam substantiam adipiscuntur.

DI-

DISPVTATIO XXII.

SIcut mustum, & quæ in tuberculis constant cum fuerit factum pus, & lacryma cum facta fuerit lema, similiter autẽ, & alia) sunt alia verba Aristot. in contextu. Nempè diximus intentionem Aristot. esse exemplis declarare concoctionem secundo modo dictam, idest imperfectam; cuiusmodi est quãdo mustum fit vinum, tumor euadit pus, lacryma lema; & sic de alijs, quæ imperfectè concocta dicuntur ab Arist. Sed quo modo hæc concoquuntur dicet aliquis? Suessanus in commentario; calor naturalis inquit in humidum agendo resoluit partes tenuiores crassioribus remanentibus, & ita fit concoctio. & ita etiam lacryma euadit lema, atque humor intra abscessum retentus concoctione madiante in puris formam transmutatur. Quare crassiora, & calidiora semper concocta remanent vt subdit ibidem Arist.

Verum circa hæc verba crassiora, & calidiora semper euadunt concocta) quæstio est non leuis apud Medicinæ doctores: Nam Gal. 5. de simpl. med. cap. 2. Nitrum ait, & aphronitum, abrotanum, atque alia similia

virtutem habent extenuandi crassos, ac lentos humores præparandique eosdem ad expulsionem. Ergo fit concoctio crassorum humorum, actenuando cum Gal. non autem incrassando solum, scilicet crassos incidendo, & tenues incrassando. Vnde cibus concoquitur, fitque chilus, qui tenuior est ipso cibo. Deinde concoctio in ventriculo est similis elixationi ex Arist. hoc eodem libro, sed cum alimenta elixantur tenuiora euadunt, non autem incrassantur. Quare etiam concoctio alimenti attenuando exercetur. Præterea excremēta ostendunt naturam eorum, à quibus deciduntur ex Gal. 2. artis med. 74. sed superfluum tertiæ concoctionis est sudor, vel alitus, secundæ autem vrina, vt primæ fœces sunt. Igitur concoctio non tantum noxi; sed etiam iuuatiui attenuando procedit.

His autem non obstantibus concoctio vt concoctio incrassando semper fit, atque concocta crassiora semper euadunt cum Arist. vt Gal. etiam idem voluit 4. acut. 4. Nam illud, quod concoquitur inquit Card. contrad. 13. lib. 1. tract. 6. ideo quidem concoquitur vt naturam recipiat eius, in quem ordinatum est. Quod vero cōcoquitur ordinatur vt euadat pars membri concoquentis; membrum vero

vero concoquens crassum,& siccum est, ergo crassiora, ficciora, nec non calidiora etiam euadunt concocta, quæ concoquuntur; crassiora quidem propter resolutionem partium tenuiorum à calore naturali agente, ficciora vero, quia humidum propter eiusdem calidi actionem euaporat,& denique calidiora propter cõtinuam calidi actionem, qua mediante, quæcunque concoquuntur, semper calidiora fiunt. Vnde vinum, exempli gratia, vetustum, est semper calidius recente, & recens oleum vetusto semper est minus calidum, & sic de alijs.

Neque obstant, quæ superius in contrariũ afferebantur. Nam Gal. cum crassos humores incidendos esse docuit pro expulsione, non ita loquutus fuit, vt etiam concoctionem fieri voluerit per attenuationem rei cõcoquendæ, sed attenuandos esse humores crassos docuit, ad hoc vt melius concoquantur. Attenuandi sunt, inquit Villanouanus, hoc est præparandi, vt refert etiam Card. ibidem: aliud enim est præparare, aliud vero concoquere. Alimentum, exempli gratia, vt melius extrinsecus concoquatur ab igne, prius præparari solet, vel ad concoctionem disponi. Vnde crassius alimentum interdum

inciditur, conteritur, vel alio modo præparatur, ad hoc vt melius deindè concoctioni dispositum sit. Ita etiam, & in concoctionibus intrinsecus peragendis crassiora incidenda prius, atque attenuanda sunt, vt deinde sic incisa, & attenuata melius concoquantur. Secundo cibus concoquitur, & fit chilus, & pars tenuior. verum id quidem est. Ergo cõcoctio attenuando fit negatur, nam chilus vt chilus est, dum concoquitur etiam incrassatur; est vero tenuior chilus ipso cibo, quia concoctione mediante excrementa crassiora separata sunt. Sic etiam de musto asserendum est, concoquitur enim, & vinum efficitur tenuioris substantiæ, quia mustum dum vinum fit separatur crassum à subtili, ideoque vinum tenuius musto est: vinum autem vt vinum est, dum coquitur crassioris substantiæ euadit. Præterea concoctio alimenti est similis elixationi, quæ tamen attenuando fit. Respondit Argenterius in lib. artis paruæ Gal. quod interdum cum ipsa concoctione miscentur quædam operationes, quæ non sunt referendæ ad concoctionem; siquidem interdũ vt res concoquantur prius tenuiores redduntur; non tamen illa attenuatio est concoctio, sed preparatio ad concoctionem, vt paulò su-

lò suprà dicebamus. Sicuti mel concretum si concoquatur prius tenuius fit, nimirum vt fiat separatio excrementi, atque partes actioni caloris magis aptæ reddantur; sed dum concoquitur mel ab excrementis crassioribus separatum, semper crassescit, vt experiẽtia tandem apparet, eliquatio enim illa est præparatio ad concoctionem, non cõcoctio. Denique excrementa tertiæ concoctionis sũt tenuiora excrementis primæ ex eadem ratione, quia in qualibet concoctione fit separatio crassorum excrementorum ab illa re, quæ concoquitur.

DISPVTATIO XXIII.

HActenus de concoctione egimus: nunc vero necesse est vt cum Arist. ad contrarium concoctionis veniamus, nẽpe ad inconcoctionẽ. Et inconcoctio, inquit Arist. in fine huius eiusdem cap. tertij, est imperfectio propter indigentiam propriȩ caliditatis, indigentia autem caliditatis frigiditas est) Suessanus in com. super hæc verba dubitat. Nam indigentia hæc propriæ caliditatis est per exuperantiam humidi. ergo non est indigentia per exuperantiam frigidi. Quare malè

malè asserit Arist.in tex.quod indigentia propriæ caliditatis frigiditas est. Respondetur breuiter huic dubitationi, distinguendo frigus in priuatiuum, atque positiuum. per indigentiam nimirum caliditatis non frigus positiuum intelligit Arist. sed priuatiuum. Cum scilicet calor in eo gradu non reperitur vt humiditatem obtinere possit, tunc sanè frigus priuatiuum est, atque cruditas, siue inconcoctio sequitur: quemadmodum, exempli gratia, in fructibus immaturis accidit; crudi enim siue immaturi hi sunt, cum eorundem caliditati humiditas exuperans est, cum vero calor supra humiditatis gradum reperitur, tunc etiam & fructus concoquuntur. Mustum crudum quoque vinum dicitur, ex eo quia multa pariter humiditas in eo reperitur. Cum autem humiditas eadem à calore obtinetur, vinum efficitur, neque amplius crudum vinum appellatur.

Sed dices iterum inconcoctio hic ex Arist. definitur imperfectio propter indigentiam caliditatis, indigentia autem caliditatis est frigiditas priuatiua. Probatur autem quod nullo modo sit frigiditas, quia secundum Medicos communiter inconcocti humores interdum calidi sunt, quinimo valde calidi, vt

in

in febribus putridis,clarum est, in quibus humores præternaturali calore præditi sunt,atque præsertim bilis, quæ tamen pro purgatione peragenda atque febre profliganda sæpe à Medicis concoquitur. Bilis autem putrida, & causa febris humor est positiuè calidus, quare inconcoctio non semper est indigentia caloris, siue frigiditas priuatiua, quinimo interdum est positiuè caliditas. Respondetur inconcoctionem dici ex Arist. imperfectionem propter indigentiam propriæ caliditatis. At caliditas propria calor innatus est. Quare indigentia hæc non simpliciter est indigentia cuiuscumque caliditatis apud Arist. sed indigentia naturalis, & propriæ caliditatis. Quamquam igitur quod inconcoctum est possit aliquando esse excedens in caliditate, vt caliditas est. nihilominus potest dici indigere caliditate, hoc est caliditate naturali, & hæc indigẽtia caliditatis naturalis ex Arist. est frigiditas naturalitatis. Quatenus enim bilis, exempli gratia, recedit à statu naturalis caloris dicitur frigida, siue indigens caliditate, idest indigens caliditate naturali, non autem quacunque caliditate. Et sic inconcoctio est imperfectio propter indigentiam propriæ, & naturalis caliditatis. Hæc autem indigentia

pro-

propriæ caliditatis si in ordine ad alimentum intelligatur apud Gal. in lib. de diff. feb. triplex dicitur, nempe ἀπεψία græcè δυσπεψία ὑπερδυπεψία, scilicet concoctionis priuatio latinè, alimenti mutatio, alimenti alteratio.

Sed de his differentijs cōcoctionis ex Gal. traditis quidquid sit cum Arist. superius, sicuti concoctio πέψις græcè dicta diuiditur in tres partes, nempe πέπανσιν ἕψησιν ὄπτησιν, scilicet maturationem, elixationem, assationem, ita etiam inconcoctio ἀπεψία gręcè diuiditur in ὠμότητ' μολυνσιν στάτευσιν, scilicet cruditatem inquinationem tostionem, & sub hac diuisione comprehenditur quælibet inconcoctio, tam scilicet alimenti, quam fructuum, humorum putridorum, cæterarumque rerum, tum naturalium, tum etiam præternaturalium. Sicuti sub diuisione concoctionis compræhenditur quælibet concoctio, siue ex arte, siue à natura celebretur, siue extrinsecus, siue intrinsecus, & quomodolibet. Et sic concoctio, & inconcoctio hoc modo terminatæ sint, tandem Aristoteles concludit in fine huius capitis tertij libri 4. metheorolog. In sequenti disputatione incipiemus explanationem 4. capitis, vbi Aristot. agit de speciebus concoctionis: Nempe primum matura-

turationem examinabimus πέπανσιν græcè appellatam.

DISPVTATIO XXIV.

HVcusque egit Arist. de concoctione, & inconcoctione in communi, nunc descendit ad earundem species, & primo incipit à maturatione πέπανσις græcè dicta, atque sic loquitur in capite quarto. (Maturatio autem est concoctio quædam, concoctio enim alimenti in his, quæ circa fructum maturatio dicitur; Quoniam autem concoctio perfectio quædam est, tunc maturatio perfecta est, quando semina, quæ in eo quod circa fructum possunt efficere tale alterum, quale ipsum; etenim in alijs perfectum sic dicimus. Eius igitur quod circa fructum, hæc maturatio. Dicuntur autem,& concoctorum alia multa matura secundum eandem quidem formam translatione autem,propterea quod non sunt posita sicuti dictum est prius, nomina secundum vnamquamque perfectionem circa ea,quæ terminantur à naturali caliditate, & frigiditate.) Plura sunt, quæ prædictis verbis docere intendit Arist. Primo enim exhibet definitionē maturationis, cum

matu-

maturatio inquit perfectio quædam eſt. Secundo docet cuius nam rei dicatur maturatio, ſiue cuius rei propriè ſit maturatio, vel quæ per maturationem concoquantur, & concoctio inquit alimenti, in ijs, quæ circa fructum maturatio dicitur: Nempe concoctionis hęc ſpecies, ſcilicet maturatio eſt concoctio fructibus conueniens, atque propria; cæteris autem huiuſcemodi cõcoctionis ſpecies, ſiue hoc nomen maturationis, propriè non conuenit, ſed per analogiam ſolummodo, cuiuſmodi tubercula matura dicuntur vrinæ excrementa, & ipſimet morbi analogicè concocti appellãtur. Tertio docet tempus huiuſcemodi maturationis, & maturatio perfecta eſt inquit quando ſemina, quæ in fructibus adſunt poſſunt efficere tale alterum quale ipſum,

Sed contra hanc maturationis definitionẽ ſic dicet fortaſſe aliquis: Maturatio cõcoctio eſt per Ariſt. Sed omnis concoctio fit à calore: maturatio autem interdum à frigore celebratur; quare maturatio non eſt concoctio. Quod autẽ maturatio fiat etiam à frigore interdũ, patet in quibuſdam fructibus, qui nunquam maturantur niſi in tempore hyemis, quare maturatio πέπανσις græcè dicta concoctio

ctio appellari non potest.

Respondetur breuiter, quod licet interdum quidam fructus in hyeme solum maturescant, id tamen non accidit ex eo quia concoctio à frigore fiat immediate, siue maturatio. Siquidem immediatè à calore celebratur, à frigore autem mediatè: Nam frigus quod in hyeme viget efficit antiparistasim caloris illius, qui in fructibus reperitur, atque ab illo calore fructuum intrinsecus aucto, deinde accidit fructuum maturatio in hyeme, vnde à frigore mediatè atque per accidens fructus maturi euadunt, immediatè vero, atque propriè, & per se à calore solũ.

Accedamus ad alia, solos fructus propriè maturari docet in præsenti loco Arist. cætera vero impropriè, & per analogiam, quia habent quandam concoctionem maturationi similem, vt exempli gratia tubercula sunt, humores, vrinæ, aut alia similia in exemplum ab Arist. allata. At cõcoctio siue maturatio, dicet aliquis est perfectio à naturali, & proprio calore ex oppositis passiuis; sed sic est, quod tubercula, atque humores nõ nulli, (vt pituita exempli gratia) perficiũtur etiam à naturali, atque proprio calore, ergo etiam tubercula, atque pituita propriè maturantur,

tur, non autem per analogiam. Quod autem tuberculum fiat maturum à calore proprio & naturali, probatur in superioribus ex Gal. quando ait dominante calore naturali præternaturali concoctio celebratur, vt putredo accidit eodem calore naturali à præternaturali superato. Quare maturatio etiam alijs competit, quæ fructus non sunt.

Respondetur quod licet tuberculum à calore proprio, & naturali maturum euadat, non tamen propriè maturum dici potest, quoniam cum Gal. & Arist. inquit Vicomercatus in commentario præsentis textus, concoctio vera, & propria illius dicitur, cuius concoctio à naturali, & proprio calore efficitur, & quod alere potest, quando est concoctum, quod de tuberculis affirmari non potest; nam licet tubercula à naturali, & proprio calore concoquantur, nihilominus cum concocta sunt non alunt, quinimo potius à natura tanquam inutilia excernuntur. Ideoque fructus solummodo propriè maturi dicuntur: tubercula vero, atque pituita per similitudinem dicuntur matura, quia alio nomine concocta appellari non possunt, cum cuicunque perfectioni, vel concoctioni propria nomina non sint posita.

Sed quid etiam dicemus circa pituitam, quæ à naturali, & proprio calore concoquitur, sicque concocta alere potest, vel nutritioni inseruire?

Respondetur breuiter quod pituita naturalis vtique comprehenditur sub nomine alimenti, nam sanguis crudus quodammodo hæc est, atque propriè concoquitur: Si autem pituita sit præternaturalis, de qua intelligit Arist. in contex. scilicet si loquamur de pituita putrefacta, hæc nequaquam propriè concoquitur, cum alere non possit; siquidem à priuatione ad habitum non datur regressus. At concoqui dicitur siue maturari pituita præternaturalis quatenus perficitur, non quidem ad nutritionem, verum ad expulsionem potius, vnde impropria maturatio pituitæ præternaturali competit: Appellatur vero pituita hæc concocta siue matura, quoniam proprium nomen non habet, ideoque sub alieno generali vocabulo comprehenditur.

Postquam vero Arist. docuit de maturatione quid sit, subdit, Cruditas autem est contrarium, & sensus est quod sicut maturatio est perfectio alimenti in fructibus, ita & illius contrarium, nempe immaturitas est

imperfectio eiusdem alimenti in fructibus. (Hoc autem est interminata humiditas)sunt alia verba Aristot. ideft sicut concoctio, vel maturatio fructuum fit quando humiditas terminatur à calore naturali, & proprio fructuum, & resoluuntur partes tenuiores crassioribus remanētibus,& propterea concocta sunt crassiora; ita è contra quando humiditas non terminatur, immaturatio accidit. Hoc autem ipsum quod est non terminari humiditatem in fructibus duplici ratione accidere potest, aut quia calor naturalis deficiat, aut quia humidum, quod est terminandum sit multum,& excedens,vt inferius Aristot. docet, quodcunque tandem sit tale humidum, & siue sit aereum, siue aqueum : Non autem dicimus aereum, quia aeris tantum concoctio sit, siquidem concoctio aeris simplicis, aut aquæ simplicis non fit, sed solius mixti, vt alibi dictum fuit; Dicitur autem humidum aereum, vel aqueum concoqui vel obtineri à calore, quia ex mixtis alia habent plus aeris, vt exempli gratia oleum, & alia plus aquæ vt vinum, aut aliud quid simile: & denique alia de vtroque humido participant cuiusmodi ligna sunt, aut alia mixta solidioris substantiæ. De quocunque

igitur humido intelligatur, cum illud humidum excedens fuerit, inconcoctio, immaturatio, siue cruditas accidit: Ideoque cruda, & immatura tenuiora semper sunt, & frigidiora, sicuti è contra concocta, & matura crassiora, & calidiora.

Sed dicet aliquis crassiora mixta sũt etiam sicciora tenuioribus, quia crassities accidit mixtione sicci cum humido. Sed sic est quod fructus acerbi sunt sicciores, ergo etiam crassiores, ergo acerba, & immatura non tenuiora maturis. Quod autem fructus immaturi sint sicciores immaturis probatur ex eo, quia sunt duriores, & durities accidit dominante sicco cum Arist. inferius.

Respondetur verum quidem esse quod fructus immaturi sunt duriores fructibus maturis, id autem non accidit à sicco prædominante, sed à frigido constringente: sunt quidem tenuiores partes fructuum acerborum, quam maturorum, non ita tamen apparent, quia frigidum in ijsdem fructibus immaturis existens, congregat partes, easdemque duriores efficit. Vnde adhoc vt partes dictæ fructuum à frigore duriores effectæ melius deinde concoquantur, necesse est vt à calore rarefiant, atque partes eorundem tenuiores

resoluantur crassioribus remanentibus; & sic concoctio siue fructuum maturatio accidit, ijdemque fructus pariter crassiores, calidiores atque esui iucundiores euadunt. Ratio autem cur fructus maturi, sicuti etiam, & omnia alia mixta concocta vt plurimum gustui iucundiora sint, quam cruda, est quia partes gustui dicatæ sunt etiam concoctæ nõ crudæ, vnde similia similibus addendo, magis gaudent organa gustus rebus concoctis, atque maturis, quam inconcoctis, & crudis. Matura amplius sunt dulcia, cruda autem acida, ex eo quia matura calidiora, cruda frigidiora. Aciditas enim à frigore prædominante fit, dulcedo à calido temperato, amarities à calido excedente cum sicco, austeritas à frigido & sicco fiunt, & sic de alijs vt Gal. docet lib. de simpl. nec non fortasse etiam inferius audietis.

Humidum itaque siue aereum sit, siue aqueum non debet esse excedens, neque humidum simplex inquit Arist. intelligendum est, sed cum sicco mixtum. Vnde aqua quoniam in se multum humidi continet, neque matura, neque immatura siue cruda appellari potest. Non potest dici matura siue concocta, quia concoqui non potest, quod enim

conco-

concoquitur crassescit, crassities autem accidit ex mixtione humidi cum portione sicci. Aqua autem sicco caret, quare concoqui propriè haud potest. Atque ex hoc loco Arist. Medici absque vlla concoctione præcedente humores aqueos purgant, & ex Gal. etiam lib. quos, & quando purgare oportet: nam aquei humores tanquam nimis humidi, vt aqua, concoqui non valent. Neque obstat quod Medici interdum ægris aquam decoctam prescribant: nam aqua impropriè decocta dicitur, neque quoad substantiam, sed quoad accidentia decocta intelligitur, & quatenus nimis frigida, vel crassa, mediante calefactione ignis tenuior, atque minus frigida euadit.

DISPVTATIO XXV.

ELixatio autem est secundum totum quidem concoctio à caliditate humida existentibus interminatis in humido. Post tractationem concoctionis in genere, atque inconcoctionis Arist. descendit ad species concoctionis, & inconcoctionis, vnde de maturatione, siue πέπανσιν egimus in præcedenti disputatione, atque de re contraria maturatio-

ni, scilicet immaturatione ὠμότης græcè appellata. Nunc vero Arist. de altera specie concoctionis agere incipit, nempe elixatione. Et elixatio inquit est secundum totum quidem concoctio à caliditate humida inexistentibus interminatis in humido) hoc est, cõcoctio humoris interminati, qui inest in rebus humidis ad elixationem idoneis, & hæc concoctio fit à caliditate humida. Coniungitur enim calor, vel cum sicco, vel cum humido, & calor humiditati coniunctus elixationis causa est per Arist.

Verum caliditas humida dicet aliquis, vel intrinseca, vel extrinseca esse potest. Vtrum ergo de caliditate intrinseca intelligat Arist. an vero de extrinseca? Profectò in propria, atque vera concoctione, quæ est ad finem nutritionis caliditas intrinseca esse debet. Vnde Arist. superius concoctio est perfectio à naturali, & proprio calore inquit; proprius ergo calor humidus esse debet elixationem peragens, licet ab extrinseco etiam quoquo pacto eadem elixatio auxilium aliquod recipere valeat. In impropria vero elixatione potest etiam esse calor extrinsecus, vt in illis apparet quæ ab extrinseco calore elixantur, sed hæc re vera impropriè elixari dicuntur; vocantur

tur

tur autem elixa, quia aliud nomen proprium minime habent, atque verè, & propriè elixatis similia sunt.

Elixatio igitur concoctio est à caliditate humida; verum quia nonnulla tamet si à calido humido concoquantur, tamen elixari non dicuntur, cuiusmodi illa sunt quæ in sartagine concoquuntur, reddit rationem in præsenti Arist. cur ita accidat? Concoquitur enim aliquid in aqua calida, & elixari dicitur, concoquitur vero in oleo pariter humido, & assari, non vero elixari affirmatur. Ratio est, inquit Arist. quoniam illud, quod in sartagine cum oleo cõcoquitur non patitur ab igne existente in humido, sed ab igne existente in sicco, nempe ab igne extra sartaginem immediatè. Oleum etenim cũ sit partium tenuiorũ statim in id, quod cõcoquitur insinuatur, vel ingreditur, & sic immediatè quæ frigũtur à sicco igne extrinseco cõcoquuntur, nõ vero à calido humido; scilicet nõ à calore olei, sed à calore sartaginis ab igne sicco calefactæ. Probat autem id Arist. ex eo quia, in quo est humidum facit magis siccũ in se ipsum reassumens; quod autem elixatur contrarium efficit; excernitur enim ex ipso humidum à caliditate, quæ est in extrinseco humido. Qua-

propter elixa magis sicca sunt, quam assa, cõcludit deinde Arist. Sed hæc conclusio erronea fortasse alicui videbitur: nam elixa ficciora assis non sunt, vt experientia patet. Illud enim est siccum, quod alieno termino difficile terminatur ex Arist. in physic. sed assa ita sunt, atq. magis quã elixa: Quare assa ipsis elixis ficciora non vero humidiora affirmanda sunt. Respondetur tamen, quod siccius, & humidius potest intelligi dupliciter, scilicet humiditate propria, & accidentali. De propria autem humiditate hic intelligit Arist. quando elixa assis ficciora dixit, non autem de accidentali, nam accidentali humiditate vtique humidiora sunt elixa ipsis assis. Et ideo assa difficilius quoque terminantur termino alieno, quam proprio. Quod autem elixa sint ficciora assis, atque assa humidiora elixis propria humiditate, colligitur etiam inquit Arist. in contextu, quoniam magis exiccantur elixa, quam assa, nimirum illa magis expoliata sunt propria humiditate, hæc autem minus.

Sed dicet aliquis Gal. lib. 1. de simpl. med. facult. cap. 8. aquam vim humectandi nunquam deponere ait, & ea quæ ab aqua feruente exuruntur non fieri ficciora, sicuti fiũt,

quæ

quæ igne vruntur. Hoc idem constat etiam experientia, cum substantia ipsa rerum, quæ elixantur fiat in se mollior manifestè, & laxior, quare, & humidior quoque, cum mollities sit signum humoris.

Respondetur vt supra, quæ nimirum elixantur esse humidiora solum humiditate extrinseca, & accidentali, non naturali, & propria.

Supposito autem ipso quid est elixationis Arist. deinde se confert ad explicationem illorum, quæ elixantur, aut elixationi subiecta sunt, & non omne corpus inquit elixabile est. Nam corpus in quo nullum est humidū, vt sunt lapides elixari non potest, & si adsit humidum adsit tamen etiam spissitudo, quæ impediat exitum intrinsecæ humiditatis, vt contingit in ligno, quod similiter elixari non potest. Sed tunc corpora elixabilia sunt, quādo pati possunt, à calido humido, cum scilicet humiditas intrinseca potest terminari à calido humido extrinseco.

Sed contrà sic dubitabit fortasse aliquis, elixari dicuntur corpora ex Arist. cum à calido humido extrinseco humiditas intrinseca extrahitur: hoc autem dicere est affirmare elixationem non esse concoctionem, sed putrefa-

aqua, & oleo apparet. Sed oleum elixari non posse Alexander cum alijs ferè communiter refert in magnum olei calorem. Quare impedimentum elixationis olei non erit excessiua humiditas. Valles. in commentario præsentis textus Arist. abeant inquit, qui oleum valde calidum esse inquiunt, nam temperatum potius est, vt experimento constat. Cum frigidis enim si oleo vtamur refrigerat, cum calidis vero calefacit, vnde apud pharmacopolas oleum rosatum, exempli gratia, reperitur quod vim refrigerandi, & humectandi habet. Quæ igitur est ratio vt oleum non elixetur? Nam ex alia parte idē Arist. cap.7. huiusmet 4.lib. metheor. docet quod oleum crassescit, & à calido & à frigido, & ideo videtur, quod etiam possit elixari cum crassescat, siquidem omnis concoctio incrassando celebratur, vt superius diximus ex Arist. Mihi persuadeo vt etiam voluit Vallesius hanc difficultatem decernere Gal. lib. de simpl. med. facul. cap.18. Vbi docens modum quo tenue excrementū ab oleo separetur, ipsumque album, & crassum euadat, inquit id peragi posse si vas olei oris latioris sub feruenti sole agitetur, aut lento igni, vel calido cineri super impositum lentè ebulliat; his inquam modis à tempera-

to calore oleum quodammodo incrassatur, nempe quia resoluuntur partes tenuiores crassioribus remanentibus. Quare cum aliquo modo oleum incrassetur, atque grauius euadat, nec non minoris in concoctione dicta quantitatis, sanè quodammodo propriè elixari dici poterit sed quid ad Arist. verba in superioribus allata? Vallesius conatur satisfacere asserendo, quod Aristoteles solum voluit oleum non elixari propè ignem ardētem, non autem propè tepidum; & ratio cur ad ignem ardētem oleum non concoquatur est, inquit Vallesf. quoniam oleum pingue est, & ab igne de facili inflammatur, vnde nō resoluuntur partes tenuiores crassionibus remanentibus, sed substantia tota olei inflammata attenuatur, nec concrescit, neque per consequens propriè concoquitur. sed de hac re quidquid sit accedo ad aliam disputationē.

DISPVTATIO XXVI.

INquinatio autem inconcoctio quidem, contraria autem elixationi) hæc sunt verba Arist. in eodem capite 4. summæ primæ quarti lib. metheorolog. Eundem nempe seruat ordinem Arist. de elixatione agendo, quem superius seruauit circa maturationem.

Primo

trefactionem; siquidem putrefactio vt dicebatur in superioribus est corruptio natiuæ caliditatis in humido, quæ corruptio accidit per humidi resolutionem. Quo igitur modo internam humiditatem in elixatione separari affirmabimus?

Respondetur breuiter duas adesse humiditates internas in quolibet corpore, vnam scilicet naturalem, atque elementarem appellatam, alteram verò naturalem quidem, sed minimè innatam, & elementarem, sed aduentitiam. Vnde cum res elixantur, non resoluitur innata humiditas, sed humiditas aduentitia.

Elixatio igitur concoctio est, atque tunc accidit, quando elixabilium corporum humiditas actuari, siue obtineri potest, quod autem aliquando non possit actuari, vel accidit propter densitatem ex qua à calido humido fieri non potest penetratio in substantiam rerum èlixabilium, vt sunt ligna, & alia his similia. vel etiam accidit ob excessum humiditatis vt patet in oleo, quod per Aristot. elixari non valet. Adeo siquidem copiosa est olei humiditas, vt actuari non possit, & qua ratione non potest incrassari oleum, eadem ratione neque etiam potest elixari, sicuti de

aqua

aqua etiam superius diximus. Neque obstat quodnonnulla densissimæ interdum substantiæ concoqui, & elixari affirmentur, vt apud Pharmacopolas apparet, à quibus elixantur ligna guaiacum, santalum, sassofras, lignum visci quercini, aloe, & similia; nam hæc impropriè elixantur re vera, quia densitas ipsorum vinci non potest; præterea quod elixatur alimenti, aut nutritionis causa elixatur: ligna autem ad hunc finem à pharmacopeis non elixantur, cum esui apta reddi non valeant. Neque obstat quód quando impropriè elixantur ligna à pharmacopeis aliquis succus extrahatur ad alendum fortasse aptus, vnde propterea in potionibus etiam exhibetur ægris. Nam esto quod ex lignorum ebullitione aliqua succi extractio fieri valeat alitioni accommodata, ligna ipsa tamen siue ipsorum substantiæ nequaquam propriè concoqui possunt, neque adeo cum elixatione perfici, vt pro alimento inseruire valeant. Quare solum impropriè concoqui ex Arist. asseruntur, quemadmodum aurum, argentũ, ferrum, & alia similia eadem ratione solum impropriè elixari dicuntur.

Aliud impediens elixationem ex Arist. dicebamus esse excessum humiditatis, vt in aqua,

aqua, & oleo apparet. Sed oleum elixari non posse Alexander cum alijs ferè communiter refert in magnum olei calorem. Quare impedimentum elixationis olei non erit excessiua humiditas. Valles. in commentario præsentis textus Arist. abeant inquit, qui oleum valde calidum esse inquiunt, nam temperatum potius est, vt experimento constat. Cum frigidis enim si oleo vtamur refrigerat, cum calidis vero calefacit, vnde apud pharmacopolas oleum rosatum, exempli gratia, reperitur quod vim refrigerandi, & humectandi habet. Quæ igitur est ratio vt oleum non elixetur? Nam ex alia parte idẽ Arist. cap. 7. huiusmet 4. lib. metheor. docet quod oleum crassescit, & à calido & à frigido, & ideo videtur, quod etiam possit elixari cum crassescat, siquidem omnis concoctio incrassando celebratur, vt superius diximus ex Arist. Mihi persuadeo vt etiam voluit Vallesius hanc difficultatem decernere Gal. lib. de simpl. med. facul. cap. 18. Vbi docens modum quo tenue excrementũ ab oleo separetur, ipsumque album, & crassum euadat, inquit id peragi posse si vas olei oris latioris sub feruenti sole agitetur, aut lento igni, vel calido cineri superimpositum lentè ebulliat; his inquam modis à tempera-

to calore oleum quodammodo incrassatur, nempe quia resoluuntur partes tenuiores crassioribus remanentibus. Quare cum aliquo modo oleum incrassetur, atque grauius euadat, nec non minoris in concoctione dicta quantitatis, sanè quodammodo propriè elixari dici poterit sed quid ad Arist. verba in superioribus allata? Vallesius conatur satisfacere asserendo, quod Aristoteles solum voluit oleum non elixari propè ignem ardētem, non autem propè tepidum; & ratio cur ad ignem ardētem oleum non concoquatur est, inquit Vallesi. quoniam oleum pingue est, & ab igne de facili inflammatur, vnde nō resoluuntur partes tenuiores crassionibus remanentibus, sed substantia tota olei inflammata attenuatur, nec concrescit, neque per consequens propriè concoquitur. sed de hac re quidquid sit accedo ad aliam disputationē.

DISPVTATIO XXVI.

INquinatio autem inconcoctio quidem, contraria autem elixationi:) hæc sunt verba Arist. in eodem capite 4. summæ primæ quarti lib. metheorolog. Eundem nempe seruat ordinem Arist. de elixatione agendo, quem superius seruauit circa maturationem.

Primo

Primo enim de maturatione egit, postea vero de re contraria maturationi, & eadem ratione primo egit de elixatione, nunc vero docet quid sentiat de re contraria elixationi. Et inquinatio, inquit, est inconcoctio contraria elixationi. Accidit autem inquinatio propter defectum caloris humidi, quod elixatur, non actuantis, vel minime obtinentis humiditatem, quæ in re elixanda adest.

Sed dicet aliquis apud Medicos inconcoctio dicitur alimenti etiam propter excessum caliditatis; vt puta quando ructus nidorosi sunt, indicatur alimentum non concoctum propter excessum caloris; humores adusti etiam crudi dicuntur à Medicis interdum, & tamen ex maiori gradu caloris id accidit; quare inquinatio non semper defectu caloris exoritur.

Profecto quod obijcitur verissimum est, & nimis concocta siue adusta cruda dicuntur à Medicis interdum, sed non magis cruda responderem cruditate contraria elixationi, quam assationi; quinimo adusta cruda vere non sunt cruditate contraria elixationi: nam elixatio, vt dicebatur superius est concoctio à calore humido; cui passio contraria inquinatio est, siue non elixatio propter defectum

calo-

caloris humidi, atque hæc est propriè cruditas, quæ contrariatur elixationi; accidit autem huiuscemodi cruditas in concoctione alimenti, quæ in ventriculo celebratur, & ipsius indicium aciditas est. Quæ quidem aciditas præcipuè oritur, ex Medicis, quoniam imbecillis ventriculi calor humidus humiditatem alimenti actuare non potest, & ob defectum caloris sapor acidus in ore percipitur. Vnde Gal. etiam lib. simpl. med. alibi citato, acida frigida sunt, inquit.

Sed dices iterum in contrarium, sapor acidus non potest esse signum cruditatis, siquidem ex Hipp. lib.6. aphor.1. In longis leuitatibus intestinorũ si ructus acidus superueniat signum bonum, qua igitur ratione sapor acidus esse potest bonus si à caloris defectu originem ducit?

Responderem quod ructus acidus, siue aciditas in longis leuitatibus intestinorum optima est ex eadem ratione, quam Arist. adduxit in causa cruditatis: nimirum quia aciditas, vt diximus ex imbecilli accidit calore, leuitas autem intestinorum ex priuatione caloris, aut saltem ex fere priuato calore, nam leuitas intestinorum est omnimoda cruditas,

atque

atque alimenta eo modo quo eduntur ab ægris etiam excernuntur, cum pragmaticis medicis. Quare si fortè fortuna in hoc casu leuitatis intestinorũ aliquis ructus acidus percipiatur, indicium est quod natura aliquam concoctionem alimenti aggreditur, atque calorem ventriculi aliquo modo reuiuiscere, neque abolitum ex toto esse, sed deprauatum solummodo: vnde propterea ructus acidus in longis difficultatibus intestinorum superueniens bonum.

Tertio dicet aliquis ex Arist. inferius, inquinatio accidit etiam propter quantitatem humidi concoquendi, siue elixandi. Quare inquinatio non semper ex defectu caloris exoritur, vt supra affirmabatur.

Respondetur vtique semper inquinationem defectu caloris accidere, etiam si accidat propter quantitatem humidi concoquendi, nam respectu illius quantitatis humidi calor deficiens est, deficiens inquam in actu secundo, licet in actu primo in gradu conuenienti reperiatur. Atque hæc de elixatione, & inquinatione. Accedamus nunc ad tertiam speciem concoctionis, quæ est assatio.

Assatio autem est concoctio à caliditate sicca, & aliena) sunt alia verba Arist. nempe

alia species concoctionis assatio dicitur ὄπτησις græcè, & sicuti elixatio dicebatur concoctio à caliditate humida, ita etiam assatio definitur concoctio à caliditate sicca, & in hoc distinguitur assatio ab elixatione. Distinguitur etiam à maturatione ex eo quia maturatio celebratur à caliditate propria, assatio vero à caliditate aliena. Vnde assatio concoctio est à caliditate sicca, & aliena vt loquitur Arist.

Contra hanc vero assationis definitionem sic primo insurget aliquis. Concoctio est perfectio à naturali, & proprio calore. sed naturalis calor humidus est non siccus. ergo assatio malè definitur concoctio à caliditate sicca.

Secundo concoctio est perfectio à naturali, & proprio calore. Sed asſatio est species concoctionis. Ergo asſatio à calore proprio fit, non à calore alieno.

Tertio si asſatio celebraretur à calore sicco, quæ assantur sicca pariter esſent, & tamen ex Arist. supra, & in sequentibus asſa elixis humidiora sunt.

Sed his non obstantibus asſationem concoctionem esſe à caliditate sicca, & aliena experientia constat, & Arist. in textu optimè

docet. Neque obstat primo quod concoctio fiat à calore naturali, qui est humidus, nam concoctio maturatiua est illa, quæ fit à calore naturali, & proprio, hæc etenim per Arist. est propria concoctio, cœteræ autem concoctiones impropriè concoctiones appellantur, & quatenus cum vera concoctione aliquam habent similitudinem. Quare cum impropria concoctio sit assatio, non est mirum si fiat à calore sicco, sicuti Arist. docet, & propterea etiam fit à calore alieno, quatenus spectat ad secundum argumẽtum.

Tertio quæ assantur sunt humidiora, ex Arist. ipsis elixis. Respondetur intelligere Arist. de humiditate propria, & naturali, non vero de accidentali, qua quidem accidentali humiditate sunt elixa humidiora assis, quæ autem assantur sunt sicciora elixis, quoniam à calore sicco concoquuntur, vt Arist. in definitione docuit.

Sed si assata sicciora sunt ex eo quia à calido sicco concoquuntur sequeretur quod essent etiam rariora elixis, nimirum quia calidi est aperire per Arist. pluribus in locis, præsertim vero 5. de generat. animalium, & tamen vt experientia patet assata densiora sunt elixis.

Respon-

Respondetur breuiter, quod vtique calidi di est aperire, frigidi vero condensare, sed calidi humidi, non vero calidi sicci. Calor enim vel est coniunctus cum humido, vel cum sicco, si cum humido coniunctus reperiatur, aperit, cum sicco autem condensat. Quod autem calor cum humido rarefaciat, atque aperiat constat ex balneis cum aqua dulci administratis, & quia quælibet simplex aqua calida aperiendi etiam vim habet. Nam sua humiditate aqua calida relaxando partes, easdem rarefacit, & aperit: vnde facilius deinde calor ipsius aquæ in interiora earundem partium insinuatur, & ingreditur. constat id multis experientijs, præsertim vero clarum efficitur in congelatione membrorum, nempe manus, pedes, & aliæ partes congelatæ facilius calefiunt ex aqua calida, quam sicco calore: siquidem, vt dicebamus calor humidus relaxat, atque calorem in interiora partium ingredi operatur; calor autem siccus è contra constringit partes, atque condensat, ita vt in interiora magis se insinuare postea non valeat. Præterea esto quod quilibet calor rarefaciendi, atque aperiendi vim habeat, calor autem siccus à principio solum aperit cum Gal. in lib. de consuetudine, veluti sol

inquit Gal. rarefacit, atque aperit, sed si diù alicui corpori inhæserit contrarium operatur, nam humidum euaporare facit, atque ita per accidens siccum reddit corpus, quod diù sol calefecit, vt patet in messoribus nautis, & similibus alijs; & sic ad nostram conclusionem redeundo, assatio est concoctio à caliditate sicca, & aliena.

DISPVTATIO XXVII.

ET animal non fit in ipsa concoctione, sicut quidam aiunt, sed in excretione, quæ putrefit in inferiori aluo, deinde ascendit sursum. Coinquinatur enim à superiori ventre, putrescit autem in inferiori excretũ). Hæc sunt alia verba Arist. in eodem capite. Et mirum fortasse videbitur alicui, quod Arist. hanc animalium procreationem in inferiori ventre fieri dixerit, cũ ea, quæ hucusque tradita sunt nullam habeant cum his cõuenientiã. Sed tamen si rem intrinsecus perscrutemur sanè aliquam causam inueniemus. Nimirum dixerat superius Arist. concoctionem ventriculi esse similem elixationi, poterat autem aliquis dubitare quo modo si in ventriculo fit concoctio in eodem vermes

etiam

etiam generantur? Ideo tanquam tacitè obiectioni nunc respondens, & animal inquit non fit in ipsa concoctione, sicut quidam aiunt, sed in excretione, quæ fit in inferiori aluo. Omissa àutem hac causa, quæstio est nõ leuis apud Doctores, in quo nam loco vermes generentur. vt audiuistis Arist. in præsenti textu, vermes inquit generantur in ipsis intestinis, cui sententiæ se subscripsit etiam Gal. 3. aph. tex. com. 26. Ascarides inquiens sunt tenues quidam lumbrici, qui inparte maximè inferna crassi intestini gignuntur, atq. id propter malam ciborũ concoctionem. aliud vero genus lumbricorũ est rotundum, quod etiam generatur in supernis magis intestinis, licet ad ipsum quandoque ventriculum tales lumbrici ascendant. Raro autem tem est lumbrici lati generatio, qui & longissimus est, & sæpè per tota extenditur intestina; Vnde propterea tales lumbrici cucurbitini alias appellantur, nempe à cubito, cum adeo longi interdum generentur huiusmodi vermes, vt decem, viginti cubitorum, & amplioris etiam longitudinis visi fuerint, si auctoribus Medicinæ fides adhibenda est, atque præsertim Horatio Augenio in suis epistolis. aut dicuntur cucurbitini, & melius

fortasse id asseritur, ad similitudinem seminis cucurbitæ, videntur enim tales vermes nihil aliud, quam plura semina cucurbitarum simul inserta. Quidquid tamen sit de hac differentia lumbricorum, etiam Gal. vt retulimus lumbricos in ventre inferiori generari docuit, atque non solum loco citato, verum etiam primo de loc. aff. cap. 5. & alibi.

Et opinioni Gal. subscripserũt Paul. Trall. omnesque fere alij subsequentes Medicinæ Doctores, tam antiqui, quam neoterici. Sed Petrus Apponensis Conciliator diff. iij. aliter sensit, dum negat in solis intestinis vermes generari cum interdũ etiam vomitu eijciantur. Præterea Hipp. in lib. de morbo mul. vermes, inquit, generantur etiam in vtero. Auic. prima 3. cap. de soda. dolorem capitis fieri docet aliquando ex vermibus. Plutarchus 8. symposia. 9. Ephebum Atheniensem lumbricum vna cum semine eiecisse recenset. Gentilis vermem refert se vidisse cum vrina reiectum. Et denique pluribus alijs omissis historijs, Schenchius in suis obs. med. in sanguine, atque in omni fere loco corporis lumbricos generari posse recenset. Itaque lumbrici dicet aliquis in solis intestinis inferiori-

rioribus generari non est verum.

Sane in hac opinionum contrarietate ego quid dicam sum anceps. Hieronymus Mercurialis in cap. proprio decernit hanc quæstionem cum distinctione, aut lumbrici, inquiens, veri sunt, aut non veri. Veri in solis intestinis generantur, non veri autem etiam in alijs partibus, atque hi potius vermes sunt subiungit, quam lumbrici. Vnde quotiescunque Hippocr. Arist. vel quiuis alius auctor lumbricos in intestinis solum generari dixerunt, de veris lumbricis intelligendum est, non autem de non veris. Sed cur veri sunt lumbrici in intestinis generati, in alijs vero partibus non sunt veri? Hoc remanet declarandum dicet aliquis. Non video cur veri lumbrici illi sint appellandi, hi autem nõ veri. Quare pro resolutione præsentis quæstionis ego dicerem, lumbricos generari in ventre inferiori asseruisse Gal. & Arist. non quia interdum in alijs etiam partibus generari non valeant, verum ita loquutos fuisse habito solum respectu ad ventriculum superiorem, nimirum lumbrici (voluerunt dicere Gal. & Arist.) qui adeo frequenter conspiciuntur, non in vẽtre superiori generantur, siquidem in hoc loco celebrantur concoctiones alimẽ-

 torum,

torum, sed in intestinis, à quibus etiam ad ventriculum ascendentes in eodem deinde ventriculo apparent, atque ab eodem ventriculo pariter foras produntur.

Verum cur in intestinis generati vermes, ad ventriculum deinde ascendunt dicet aliquis? Potissima ratio apud Doctores est alimoniæ causa, præ fame videlicet, aut aliquo iucundo sapore tracti ab intestinis ijdem vermes ad ventriculum ipsum ascendunt. neque id mirum est cum Hipp. 4. de morbis scribat interdum hæc animalia præ fame in iecur ascendere, ibidemque cruciatus incredibiles excitare. Alex. in lib. de lumbricis, hæc animalia refert aliquando fame concitata perforasse intestina, atque per vmbilicum exiuisse: viuunt enim hæc animalia licet imperfectè, vnde famescunt etiam naturaliter, & à iucundis alliciuntur saporibus. Ideoque dulcia alimenta præsertim his nocent, qui talibus obnoxij sunt animalibus, vt pueri inter cœteros recensentur.

Sed cur in intestinis potius generantur vermes in ventriculo autem nequaquam vlterius quæret aliquis? Arist. in præsenti textu hanc affert rationem, quoniam in superiori ventre inquit fit concoctio, in intestinis autem etiam

putre-

putredo. Ideoque in intestinis generantur vermes, in ventriculo autem minime.

Cur autem non sit putrefactio etiam in ventriculo? quoniam respondent ventriculi calor est in maiori gradu, intestinorum vero in minori.

Vtrum denique ventriculi etiam calor minui possit, atque intestinorum? Profecto diminui vtique potest ventriculi etiam calor, tametsi autem minuatur responderem in eodem ventriculo vermes nō generantur, quoniam materia vermium generatrix ibidem diutius non retinetur, sicuti in intestinis vbi per multos dies stabulari solet, & per consequens putrefieri, atque causa vermium esse potest. In ventriculo autem excrementa breui tempore conseruantur, citò vel statim ex eodem excernuntur, propter eiusdem ventriculi minorem capacitatem, atque instrumenti necessitatem, & hæc pro præsenti disputatione satis sint.

DISPVTATIO XXVIII.

CVm fortè inciderit sermo de lumbricis in præterita disputatione, idque occasione

sione textus Aristotelici, vbi animalia non in ventriculo, sed in intestinis generari asseritur. Optimum fore censeo, si de ijsdem lumbricis aliqua disseramus, cum huiuscemodi etiam materia frequenter se offerat Medicis. Atque ab ipso quid nominis incipiendo, lumbricus latinū est nomen, quod græcè ἑλμινθες. legitur ex verbo ἑλμινθιάομαι deductum. Dicuntur vero hæc animalia latinè lumbrici à lubricitate, quia scilicet lubrici sunt. Conuenit hoc nomen propriè vermibus terræ, vnde Plautus in Aul. foras lumbrice inquit, qui sub terram erexisti modo. Ad similitudinem vero horum lumbricorum terræ dicuntur etiam lumbrici vermes, qui in ventre hominis, aut etiam aliorum animalium nascuntur. Atque hi cum Gal. sicuti in præterita disputatione dicebamus in triplici differentia sunt, nempe alij lati sunt, alij vero rotundi, & alij etiam rotundi sed parui. Parui lumbrici græcè, & latinè dicuntur ascarides, suntque hi vermes cum Gal. vltimo meth. in genere lumbricorum, sed parui, & exigui vermes sūt. Dicuntur autem ascarides græcè ab ἀσκαρίζω hoc est moueo, quia semper fere loco mouentur, & maximè pruriunt, vbi nascuntur, & existunt; præcipuè verò cum Gal. 3. aph.

tex.

tex. com.26. huiuſmodi vermes naſcuntur in craſſis, atque extremis inteſtinis. Afficit vero huiuſcemodi lumbricorum genus præcipuè iumenta. Vnde propterea Hipp. 4. de morbis, vbi agit de lumbricis, nec non Cornelius Celſus lib.4. cap.7. de hoc lumbricorum genere ſiluerunt, tanquam ſcilicet iumentis proprio, raro autem hominibus aduenìente.

Sed cur iumenta hoc genere lumbricorũ magis afficiuntur, quam homines? Circa hanc dubitationem varij varia loquuti fuere. Nonnulli ſiquidem ideo exiſtimarunt hoc eſſe, ex eo quia iumenta minus concoquunt alimentum, ex diminuta concoctione ſequitur corruptio, & ad corruptionem poſtremo naſcuntur vermes, ideoque lumbricis aſcaridibus iumenta magis obnoxia ſunt. Quod autem alimenta magis iumentis corrumpãtur, ratio, inquiunt, colligitur ex eo quia eorundem ſtercora magis quoque fœtida egeruntur. Sed hac ratione dicet aliquis, vt etiam ſentit Mercurialis lib. de morb. puerorum 3. cap.7. homines aſcaridibus magis abũdarent, quam iumenta, cum in hominibus deteriores accidant corruptiones, atque excrementa magis fœteant, quam in iumentis. Vnde Alex. 1. probl.27. ſtercora hominum, inquit,

peius

peius olent, quam stercora brutorum, quoniam homines alimentis vtuntur magis varijs, quam bruta. Montanus, quem ibidem Mercurialis adducit, ideo quidem ascarides in iumentis magis generari docet, quam in hominibus, quia bruta calidiora sunt, quam homines. Esse autem calidiora constat ex pluribus, sed præsertim ex esu palearum straminum, & similium, quæ ex hominibus nec edi neque concoqui possunt. Igitur concludit Montanus cum ascarides ex maiori calore gignantur, iure merito in brutis quoque magis nascuntur, quam hominibus.

Contra Montanum vero insurgit Mercurialis triplici argumento, si rectè memini. Et primo si animalia maiora requirũt maiorem calorem, quia scilicet extentio, & auctio eorundem à maiori calore fiant, lumbrici autem sunt maiora animalia ipsis ascaridibus; lumbricis non ascaridibus magis obnoxia essent bruta, quam homines. Secundo insurgit Mercurialis aduersus Montanum, ex eo, quia dixit bruta calidiora esse hominibus, ac tamen Arist. 10. probl. 55. & 4. probl. 7. contrarium docet: quinimò in lib. de longit. & breuit. vitæ, hominem, & Elephantem docet esse vitæ longioris præ cæteris animalibus, quia

habent

habent copiosiorem calorem, nec non puriori, atque viscidiori humido pollent. Tertio non ex eo quod bruta cōcoquunt paleas, atque stramina, cōcludendum esse docet Mercurialis aduersus Montanum, quod bruta sint etiam calidiora hominibus. Nam id minime accidit propter maiorem quantitatem caloris, sed propter similitudinem. Vnde Arist. sect. 10. probl. 9. tradens rationem, propter quam bruta vtuntur alimentis siccis, id accidere, inquit, propter temperaturæ similitudinem, similia enim similibus conseruantur, à dissimilibus medentur, cum contrariorum contraria sint remedia. Præterea cibum siccum bruta concoquunt melius quam homines, non quidem propter caliditatem maiorem, sed vt inquit Theophrastus 4. de caus. plantarum cap. 19. traditum est à natura cuique alimentum proprium, quo vescantur, & tale alimentum melius concoquitur ab animalibus, quam aliud non sibi traditum. Paleæ vero, & stramina fuere data brutis pro alimēto à natura, ideoque ab ijsdem hæc faciliùs concoquuntur. Aut id dicemus accidere propter consuetudinem, vt Hipp. in lib. de dieta indicauit, assueuerunt enim bruta his vesci à principio, & propterea faciliùs concoquunt.

Quare

Quare Montani rationes allatæ minimè valent, vt est concludendum cum Hieronymo Mercuriali.

Quæ nam ergo est ratio, vt iumenta ascaridibus magis abundent, quam homines? Columnella lib.6. cap.24. sic loquitur de ascaridibus, solent vitulis nocere lumbrici, qui ferè nascuntur cruditatibus. Sed vtrum iumenta cruditatum feraciora sint ipsis hominibus aduersum Columellam, nunc aliquis dubitare posset? Hieronymus Mercurialis lib.3. de internis puerorum morbis cap.8. ideo iumenta ascaridibus abundare magis; inquit, quam homines, quoniam bruta magis vitioso alimento vtuntur, quam homines. Verum ex hac Mercurialis ratione, sequeretur quod omnia bruta iisdem ascaridibus afficerentur, & quædam bruta pariter magis ipsis iumentis, cum nonnulla etiam reperiantur bruta, quæ magis vitioso alimento vtuntur, quam iumenta. Propterea Mercurialis ibidem alia causa, inquit, quod iumentis proprie magis sint ascarides, quam ipsis hominibus, est quia iumenta animalia frigidiora sunt hominibus, & idem pariter confirmant Paulus Aetius, & alij, qui asserunt ascarides generari propter corruptionem, & propter vitiosum alimentum,

tum, & propter frigiditatem. Quare cum iumenta frigidiora viuentia sint hominibus, propterea ascaridibus magis obnoxia sunt ipsis hominibus.

DISPVTATIO XXIX.

POst ascarides in hac præsenti disputatione examinandi veniunt alij vermes, qui lumbrici, atque cucurbitini appellantur. lumbrici sunt vermes longi, atque simul rotundi; longi inquam, & in hoc differunt ab ascaridibus; rotundi vero, & in hoc differunt etiam à cucurbitinis. De his autem lumbricis duo notatu digna apud grauissimos Auctores leguntur, atque præcipuè apud Hipp. 4. de morb. Primum est quod lumbrici fiant infantibus etiam intra vterum existentibus. & lacte, inquit Hipp. dulce, & pingui in pus feruidum conuerso lumbrici infantibus intra vterum nascuntur. Sed vtrum ex lacte nutriatur fœtus intra vterum? sanè altiorem indaginem hæc quæstio requirit, & Hipp. in lib. de natura pueri huius sententiæ videtur fuisse. Breuiter tamen sciendum est non ex lacte formaliter nutriri fœtus intra vterum, sed ex materia illa quæ transmutatur, deinde

in

in formam lactis, & ita communis tenet opinio. Quare quando Hipp.ex lacte pingui, & dulce dixit in infantibus generari lumbricos, de materia lactis intellexit,non vero de lacte formaliter. Alterum quod apud Hipp. de lumbricis legitur est quod pariant. Contra quam Hipp. sententiam est Arist.3. & 5. de Hist.animal.vbi apertissimè docet lumbricos hoc habere peculiare quod alia animalia nō gignant. Præterea idem Hipp. in 4. dicto de morbis negat lumbricos latos parere. Igitur neque etiam lumbrici rotundi, & propriè lumbrici appellati id facient. Pro resolutione præsentis dubitationis dicemus lumbricos parere alios vermes, non quia animalia sibi similia generent, sed quia disponunt materiam ad aliorum lumbricorum generationem; Et hac ratione lumbricos parere intellexerit quoque Hipp. non autem verè, & propriè quia pariant,& hæc satis sit pro nunc responsio.

Tertium genus verminum dicebātur lumbrici lati *κειραι* à græcis appellati. Latini vero huiusmodi vermes potaminas appellabant, eo quod longitudine,& forma referant fascias illas, quibus inuoluuntur infantes. Huiusmodi etiam vermes si diuidantur in fragmen-

fragmenta dicuntur cucurbitini, hoc est quia referunt similitudinem seminum cucurbitarum. Neque hi vermes lati cucurbitini appellati alterum genus vermium sunt, vt Arabes opinati fuere, hoc etenim verum non est inquit Mercurialis, quoniam vermes cucurbitini,non sunt nisi frusta, & fragmenta lumbricorum latorum. qui etiam lumbrici lati longi sunt, atque longissimi interdum, vt ab Hipp.loco citato,atque à Plin.lib.11.cap.33. dicantur visi fuisse aliquando longitudinis pedum tricenorum, & plurium.

Sed quid nam sunt huiusmodi lumbrici lati dicet aliquis, sunt ne propriè animalia, an vero excrementum quoddam animalia referens,aut animalis formam repręsentans.Nam Paulus, & Aetius auctores grauissimi in ea fuere sententia, quod huiusmodi lumbricus latus nihil sit aliud nisi cortex, seu membrana intestinorum interior cõuersa in figuram animalis. Verum, vt inquit Mercurialis id affirmari non potest, quia si membrana intestinorum interior abrasa esset lumbrius latus, cum tali lumbrico excruciatus, & dolores acutissimos, & alia similia sympthomata, etiam febres paterentur ægrotantes,& tamen id experientia non constat. Vidi ego duos,

vel tres hoc lato lumbrico male affectos penitus sine febre, atque per multos annos vitam durasse. Inter cœteros habui sub mea curatione mulierem quandam Romanam annorum circiter quadraginta, habitus crassi, temperamenti sanguinei, sed per accidens cacoeticam, quæ per secessum interpositis temporibus septies, vel nouies in anno emittebat frusta huius lumbrici lati, longitudinis duorum, vel trium palmorum, plus minus, & per multos annos cum hac ægritudine vixit. Quare membrana intestinorum interior, vt dicebamus, huiusmodi vermes affirmari non possunt; siquidem non adeo frequenter, neque per tot annos membranę intestinorum abradi possunt. Neque obstat quod Paulus, & Aetius huius sententiæ fuerint, nam fortasse hi grauissimi auctores, vt docet Mercurialis decepti fuerunt ex dictis Hipp. in lib. 4. de morbis, vbi Hipp. lumbricos latos inquit esse veluti abrasionem albam intestinorum; sed dum Hipp. posuit particulam, veluti, satis declarauit loquutum se esse solum similitudinariè, non autem quia hi vermes lati verè tales sint, vt etiam fortasse dicere voluerunt Paul, & Aetius; nisi etiam dicamus, eos esse loquutos ex sententia aliorum, qui ita de

hoc

hoc lumbrico sentiebant, & hunc vermem fortasse nunquam hi celeberrimi viri conspexerunt: vt enim docet Gal. 5. aphor. tex. comm.46. tales lumbrici rarissimè accidunt, quia longiori tempore, atque copiosiori materia egent pro ipsorum generatione, & augmento, ideoque huiuscemodi genus lumbrici ab Hipp. silentio inuolutum fuit. Quamquam in aph. hunc vermem reticuit Hipp. non autem in alio loco, vtputa in 4. de morbis vbi de lumbrico lato apertissimè sermonem habuit, vt supra retulimus. Sed de differentijs lumbricorum, siue vermium hæc sint satis. Sequitur nunc, vt de causis eorundem agamus: Sunt verò causæ omnium rerum quatuor apud philosophos, nempe efficiens, formalis, materialis, atque finalis. Rursus etiam efficiens potest esse interna, vel externa: Est igitur externa causa lumbricorum nil aliud, quam cælestis quædam vis, quæ medio causarum immediatarum animalia format, & fingit, diciturque à Gal. facultas formatrix, ab Auic. potens factor, vel colchodea, vt legitur 16. 3. tract.5. cap. 1: ab alijs alio modo; quomodocunque autem appelletur, causa efficiens externa lumbricorum est calor cælestis, qui prout à corpo-

ribus plus, minusue recipitur, animalia, aut nobiliora, aut ignobiliora efficit, vt docet Arist. 3. de generatione animalium cap. 11. Diximus in superioribus disputationibus aliũ calorem esse cælestem, alium vero elementarem, atque cælestem differre ab elementari, quatenus calor cælestis animalia generat, vnde propterea Aristot. sol & homo generant hominem; at calor elementaris non generat, sed calefacit, vel alia peragit: Dicitur autem calor cælestis etiam calor elementaris quando inseruit cælesti operationi, nempe cum animalia generat, & hic calor est causa efficiens extrinseca lumbricorum inquit Mercurialis, causa vero intrinseca, & immediata est calor corporis internus elementaris, atque viuens.

Sed dicet aliquis calor, vt calor siue cælestis sit, siue elementaris semper tamen est accidens. Ergo non potest generare lumbricos efficienter, atque principaliter, sed vt instrumentum solummodo, quia substantia non potest generari ab accidente per se. Quid erit igitur causa efficiens principalis lumbricorum? sanè substantia per se non potest generari nisi ab alia substantia: Vnde sol, & homo generant hominem vt cum Aristot.

ftot. superius diximus: Cælum est, quod generat mediante solis calore. In animalibus vero, insitum est animalibus inquit idem Arist. 2. de generat. animalium, cap. 3. principium quoddam, quod proportione respondet elemento stellarum, scilicet cælo. Quid est autem insitum istud in animalibus? In animalibus inquam ipsamet anima est quæ cælo proportione respondet, nempe anima est causa principalis lumbricorum, calor vero causa instrumentalis.

Sed anima quomodo quid imperfectum generare potest, cum perfecta res sit iterum quæret aliquis? Duplex etiam est calor nempe naturalis, atque præternaturalis, quis ergo horum calorum ad generationem concurrit?

Anima vtique perfecta, atque perfectissima res est, sed nihilominus imperfectè operatur interdum, defectu materiei, circa quam versatur: Materia autem, siue causa materialis ex qua educitur lumbricus putris est. ideoque in imperfecta materia agens anima per accidens, & non primaria intensione lumbricos, imperfectaque animalia generat. Sicuti cælum, vtique cælum perfectum est, & nihilominus imperfectas operationes molitur, quatenus videlicet dispositiones in ma-

 teria,

teria, circa quã agit perfectas, vel imperfectas reperit; Vnde actus actiuorũ recipitur in patiente bene dispoſito, inquit Philoſophus, & quidquid etiam recipitur per modum recipientis recipitur commune eſt axioma. Anima igitur ipſa, atque ipſa forma ſubſtantialis efficiens cauſa interna eſt lumbricorum in animalibus, inſtrumentalis vero calor viuentis.

Verum vt dicebatur quia calor alius ineſt nobis naturalis, alius putredinalis, à quo nam igitur calore lumbrici inſtrumẽtaliter fient? Mercurialis lib. 3. de morb. puerorũ cap. 11. vtrumque calorem concurrere inquit, putredinalem ſcilicet, atque viuificum, ſiue naturalem: Putredinalis nempe concurrit materiam diſponendo, à qua educitur forma lumbricorum, ſed immediatè forma eadem lumbricorum generatur à calore naturali; hoc eſt calor putredinalis putrefacit materiam, quam deinde materiam putrefactam calor viuificus, atque naturalis diſponit, actuat, atque inſtrumentaliter formam lumbricorum educit. Principaliter vero eadem forma educitur à forma ſubſtantiali viuentis, quia ſubſtantia à ſubſtantia generatur, non vero ex accidente. Quod autem calor putredinalis

tantum-

tantummodo materiam putrefaciat, atque ad actionem caloris naturalis disponat, colligitur ex eo, quia calor putredinalis est igneus, ignis autem non generat, neque ad generationem disponit, vt docet Aristot. 2. de generat. animalium cap. 5. Ego etiam dicerem cum eodem Aristot. superius, quod idem calor putredinalis est causa lumbricorum, sed non vt putredinalis, at veluti naturalis est circa hanc materiam lumbricorum. Et animalia inquit Arist. in fine cap. 2. fiunt in ijs, quæ putrescunt, propterea quod, quæ segregatur caliditas adhuc naturalis existens consistere facit segregata: Hæc inquam caliditas putredinalis segregata à naturali statu in materia segregata vt naturalis generat, siue consistere facit vult dicere Arist.

DISPVTATIO XXX.

INter cæteras rationes, quibus probauimus lumbricos non generari à calore putredinali, sed potius à naturali & viuifico hæc fuit præcipua, quod calor putredinalis igneus est, ignis autem non generat ex Aristot. 2. de generat. animalium cap. 3. Sed contra dicet aliquis apud eundem Aristot. 5. de hist. ani-

mal. cap. 19. ſcriptum reperiri quod in fornacibus Cipri vbi vritur chalcitis naſcuntur quædam beſtiolæ volatiles; Quod idem habetur etiam ex Theophraſto in lib. de igne, & apud Antigonum in lib. de mirab. auſcult. Sed huic breui dubitationi breuiter quoque reſpondetur poſſe quidem in dictis fornacibus beſtiolas dictas reperiri, ſed generari nequaquam valere, dum ignis vrit: latitant beſtiolæ in terra illa, quæ vritur, & vi ignis fugatæ exeunt, atque ex fornacibus volitantes aufugiunt, non tamen quia in dictis fornacibus ardentibus genitæ prius ſint, vt falſo tribuitur Ariſtot. Et idem intelligi etiam debet de Herodoti ſententia, qui apud Aetium lib. 9. cap. 39. ſcribit in febribus generari lumbricos, ſiquidem à calore febrili per ſe hæc animalia nequaquam generantur, ſed per accidens; Aut lumbrici illi, qui intra inteſtina ægri reperiebantur, atque latitabant ob caloris febrilis vehementiam agitati foras deinde exeunt, & videtur quod à calore febrili generentur, non tamen quia vere ita ſe res habeat; nam vt dicebatur ex Ariſt. ignis non generat, & per conſequens neque calor igneus, ſiue febrilis, ſed calor naturalis, atque viuificus propriè, & per ſe lumbricorum

corum est causa, aut putredinalis, vt naturalis agendo.

Viuificus autem calor & naturalis, vel est fortis, atque vehemens, vel est mitis, & blandus. Quæret ergo aliquis quis nam horum calorum causa sit? Et breuiter Montanus ad lumbricorum generationem requiri asserit calorem fortem, ideoque in lactantibus pueris eosdem non generari quia in ijsdem calor naturalis non est vehemens, sed debilis. Ex altera vero parte Hippoc. 1. aphor. 14. qui crescunt inquit plurimũ habent calidi innati: ideoque Mercurialis è contra ad generationem lumbricorum magis facere ait calorem mitem atque blandum, quam fortem, & vehementem, vt etiam experientia patet: videmus enim lumbricis præcipuè obnoxios esse illos, qui multum comedunt, quique alimenta in prima concoctione non perficiunt, & cruditatibus abundãt, quæ sunt signa manifestissima imbecillitatis caloris naturalis. Neque obstat quod lumbricis lactantes pueri non laborent, nam huius rei ratio est, quæ ex Hippoc. depromitur in lib. 4. superius allato de morbis, vbi ait id accidere ex eo quia feces in lactantibus pueris diù non retinentur, nam lubricat lac, vbi etiam addit quod

dum

dum in vtero clausi sunt pueri feces diutius retinent, & ideo lumbrici magis generantur; atque hæc etiam est ratio quare statim atque pueri nati sunt medicamenta ijs offeruntur, quæ intestina exonerare valeant, atque à cruditatibus emundare, quæ alias causa materialis lumbricorum esse possent. Medicamenta vero exonerantia ventres puerorum statim atque editi sunt præcipue mel sapa & his similia recensentur à medicis; & alij exhibent aurum, thus, & mirram in memoriam illorum quæ à Magis oblata fuerunt Redemptori nostro sanctissimo Iesu Christo; alij verò ad necandos vermes, aut eosdem præcauendos, nec non patrocinio facultatis animalis, ne scilicet in eplepsiam, infantilem quoque morbum appellatum, incidant pueruli, statim atque nati sunt succum ratæ exhibent, valerianæ, peoniæ, vel alia his similia. Calor itaque mitis, & blandus causa efficiens lumbricorum est, non verò fortis, & magnus.

Præterea de lumbricis quærebatur causa formalis, sed cum lumbrici contineantur in genere animalium, licet imperfectorum, causa formalis eorundem nihil potest esse aliud quam anima, seu vis, & forma illa, qua ijdem lumbrici viuunt, atque mouentur.

Sed

Sed cum lumbrici sint animati etiam anima sensitiua, rursus quæret aliquis vtrum polleant ijsdem potẽtijs, quibus alia animalia vigent? Albertus lib. 21. de animalib. inquit, lumbricos nullam aliam potentiam exercere sensitiuam præter tactum, & gustum: vndè quamuis anima sensitiua sint animati lumbrici, nihilominus duas tãtum exercent operationes, siue facultates, tactricem scilicet, atque gustatricem, cœteræ verò potentiæ silent: Silent inquam non in actu primo, nam omnes adsunt in actu primo lumbricis potentiæ sensitiuæ, sed silent in actu secundo, & operatiuè, idque accidit defectu organorum, quibus carent: ideoque imperfecta animalia etiam lumbrici ab omnibus asseruntur.

Sed vtrum præter gustum, & tactum in ijsdem lumbricis adsit etiam aliquis olfactus cum ad ventriculum superiorem ex iucundo alimento trahantur, vt superius dicebamus? Profectò si non perfectò, saltem imperfectò odore, vel olfactu dicendum est pollere lumbricos, quia alias alimenti causa in distans non mouerentur.

Præterea quærebatur de lumbricis causa finalis, & circa illam non defuere, qui opinati

nati sunt nullam adesse huiusmodi causam finalem in generatione lumbricorum. Auicennas tamen 16. 3. tract. 5. cap. 1. duos fines omnium lumbricorum constituit. Primus est vt materia mundi, atque præsertim animalium per generationem lumbricorum depuretur: siquidem si materia putrida ita remaneret, vt nullũ animal generaretur, adeo quidem augeretur putredo, vt maxima detrimenta afferret. Alter finis est vt excrementa corporum generatione & nutritione horum animalium absumantur. Neque obstat quod bonã corporum materiam ijdem lumbrici quandoque conterant: nam id per accidens fit, scilicet propter magnitudinem, aut multitudinem ipsorum; adeo multi siquidem, & magni interdum generantur, vt non solum excrementa, sed bonam corporis materiam absumant, id autem per accidens fit, quia finis naturæ in generatione lumbricorum non fuit viuentibus obesse, sed ijsdem prodesse, vt dicebamus. Hi igitur sunt fines, siue hæ sunt causę finales procreationis lumbricorum.

Verum in contrarium dicet aliquis lumbrici sunt morbus in numero, & sunt etiam quid præter naturam, morbi autem carent fine,

fine, atque ita nulla adeſt cauſa finalis in generatione lumbricorum. Quod autem morbi fine careant probatur ex communi philoſoforum axiomate, quod qui agit naturaliter agit propter finem; hinc enim ſequitur quod alia agentia præternaturalia, vt ſunt morbi agunt abſque vllo fine.

Reſpondetur quod duplex eſt natura, vt alibi diximus, nempe vniuerſalis,& particularis. Natura vniuerſalis vtique habet aliquem finem in generatione lumbricorum, non tamen natura particularis. Natura inquam vniuerſalis in generatione lumbricorum habet pro fine mundi perfectionem, excrementorum conſumptionem, & perconſequens vniuerſi conſeruationem.

Sed cum lumbrici, tam illi ſint qui in terra naſcuntur, quam in corporibus animalium, quis nam ex his dicet aliquis eſt maioris vtilitatis? Hieronymus Mercurialis lib. 3. de morbis puerorum cap. 4. maiorem valde reſultare vtilitatem, inquit, ex terræ lumbricis, quam animalium. Primo quia in corporibus animalium expultrix inteſtinorum facultas reperitur, quæ licet excrementa per lumbricorum generationem non expurgentur, per ſe tamen expellere valet; quod ſanè

terra

terra peragere non poteſt cum expulſiua facultate careat. Secundo vtiliores ſunt lumbrici in terra, quam in corporibus animalium, quia per accidens ijſdem animalibus hi vermes obeſſe poſſunt: in terra autem nullius nocumenti eſſe valent, atque ita vtiliores, vel minus noxij ſunt lumbrici terræ, quā lumbrici, qui in corporibus animalium, vel intra corpora hominum generantur.

DISPVTATIO XXXI.

VT dicebamus cauſæ rerū quatuor ſunt, efficiens, formalis, finalis, atque materialis: Multa diſputauimus circa efficientem, & aliqua examinauimus circa cauſam formalem, & circa finalem; nunc ergo ſequitur vt agamus de materiali, circa quam varij varia loquuti fuere; Hippoc. enim 4. de morbis, vt non nulli inquiunt, putauit lumbricos generari ex ſtercore: Alij vero cum Ariſt. 5. de generatione animalium cap. 9. non ex ſtercore ſolum, ſed ex omni excremento. Quantum vero ſpectat ad primam ſententiam vermes generari ex ſtercore non videtur rationi conſonum; primò quia vermes generari valent etiam in alijs corporis partibus,

bus, in quibus stercus non reperitur. Secundo stercus substantia est arida, atque omni vitali humiditate exausta; Quarè vermes ex stercore generari posse marerialiter non videretur. Circa secundam sententiam, quam ex Aristot. præcipuè profitentur. Oribasius 3. aphor. 30. nec non Montanus, si vermes ex omni excremento procreari possent, sequeretur etiam puod possent generari ex humoribus excrementitijs, quod tamen dici non potest: nam vermes oriri non possunt ex humore melancholico, quia hic humor frigidus, & siccus est; vita autem in calido, & humido consistit per Aristotelem. Secundo non possunt generari vermes ex humore bilioso, quia bilis repræsentat præsentiam ignis, ignis autem non generat ex Aristotele, vt in superioribus diximus. Bilis præterea humor est amari saporis, ex amaris autem necantur vermes, non ergo generantur, vt Paul etiam lib. 4. cap. 27. idem confirmat: Vndè vt refert Gal. 4. de simpl. med. in Mari mortuo nullum animal nec generatur, neque cõseruatur, quia aqua propter bitumen, quod in se retinet amarissima est. ergo etiam bilis ad lumbricorum generationem est inepta, & per consequens ex omni excremento

vermes

vermes generari non possunt.

Cum autem vermes ex omni excremento generari non valeant, quod nam igitur excrementum erit propriè eorundem causa materialis? Gal. 3. aph. tex. comm.26, docet lumbricos generari ex humoribus crudis, quod idem fortasse dixit etiam Auic. 16. 3. tract.5. quando dixit quod ex pituita cruda stercoribus inuoluta vermes generantur: nihil enim aliud est pituita cruda stercoribus inuoluta, quam humor crudus, & quam crudum alimentũ etiam. Quare cum Gal. & Auic. causam materialem vermium crudam pituitam asseremus in intestinis stabulantem: vt idem quoque docent Alex. in epistola de lumbricis Paul. Aegineta, loco citato. Columella lib. 6. cap. 28. & alij.

Sed dicet iterum aliquis Paul. Aegineta, Alex. & plures alij interdum vermes ex cibis corruptis generari asseruerunt, ergo non ex pituita semper, siue ex cruditatibus in intestinis stabulantibus.

Respondetur breuiter; quod duplex est causa materialis, alia mediata, alia vero immediata. Immediata vtique cum Gal.& Auic. humor crudus est in intestinis retentus. Mediata vero est cibus corruptus; siquidem ex

cibi

cibi corruptione supradictus deinde humor crudus pullulat, vel procreatur.

Corrumpuntur autem cibi, vel propter quantitatem, vel propter qualitatem. Propter quantitatem scilicet, veluti pueris, & voracibus accidit, qui tantam copiam alimenti simul sumunt, vt deinde frustrata eorundem concoctione, etiam corruptio superueniat. Propter qualitatem etiam accidit corruptio alimentorum, quoniam nonnulla de sui propria natura talia sunt, cuiusmodi apud Medicos alimenta praui succi recensentur, vt sunt olera, fructus omnes horarij, exempli gratia, in pueris recensentur carnes, res dulces, & alia his similia.

Sed circa hanc rem quod res dulces possint esse causa materialis vermium secundum qualitatem peccans, fuerunt nonnulli asserentes hanc esse veram quandam vulgi opinionem, cum sapor dulcis positus sit in quadam partium, & succorum temperie; Vbi autem temperies reperitur non potest adesse putrefactio; ac proinde res dulces generationi lumbricorum ineptæ sunt. Neque obstat, quod à dulcibus alimentis maximopere lumbricis vexari conspiciantur viuentes, id enim inquiunt non accidit, quia dulcia generent

lumbricos, atque materia sint ad lumbricorum generationem, sed quoniam dulcedine tracti ijdem lumbrici, huc illucque repentes intestina vellicant, atque lancinant, sicuti etiam interdum ad ventriculum ascendentes eundem misere cruciant, atque dilacerant.

Hæc autem sententia secundum partem vera est, vt ego existimo, nam quod lumbrici dulcedinem prosequentes, pueros & viuentia alia infestent, experientia clarum est, verum quod dulcia inepta sint ad vermium generationem falsissimũ quoque est asserere. Neque obstat quod dulcia temperata sint, nã dulcia & si temperata, quando postea corrumpuntur maiorẽ contrahunt putrefactionem, temperatum enim corrumpitur intensius, quam non temperatum; habemus huius rei exemplum manifestissimum in homine, quo nullum animal magis est temperatum. si tamen corrumpatur intensè corrumpitnr, vt stercora eiusdem demonstrant, quæ omnium aliorum excrementorum magis fœtida quoque sunt. Præterea dulcia non solum corrumpuntur, sed etiam facilè corruptioni obnoxia sunt; siquidem dulcia sunt temperata, & quæ sunt temperata sunt etiam quasi in medio posita: ideoque faciliùs declinant,

clinant, vel deflectunt ad alterum extremorum. Sed quid opus est alijs rationibus? ex vsu lactis, inquit Hippoc. 4. de morbis propter dulcedinem lumbrici generantur; ergo dulcia alimenta possunt esse causa materialis lumbricorum, vt superius asserebatur. & hæc quoad causas formalem, finalem, efficientem, atque materialem lumbricorum.

Sunt vero præter has non nullæ aliæ causæ quæ ad easdem quoque reduci possunt, vt puta temperatura, sexus, ætas, locus, tempus, & regio. Inter temperaturas, ea est magis obnoxia lũbricis, quæ ferax est etiam humorum crudorum pituitosorum. cuiusmodi temperatura frigida, & humida est, sanguinea est minus obnoxia, sicuti biliosa, & melancholica sunt penitus ineptæ ad lumbricorum generationem, vt superius asserebamus.

Quo vero ad sexum, muliebris propter eandem causam ad lumbricorum generationem maximè promptus est, quia feminæ tanquam natura frigidiores magis abundãt cruditatibus. quæ lumbricorum causa materialis sunt.

Circa ætatem omnis etiam ætas subiecta est lumbricorum generationi, præcipuè ve-

ro ætas puerilis ex ablactatione vsque ad annum decimumquartum: dixi præcipuè quoniam pueri lactantes si fortè alijs etiam alimentis nutriantur, vt passim fieri solet, lumbricis maximè laborare valent. Post pueros generant magis lumbricos senes, vt pote in quibus multæ scatent cruditates. Circa locum, vt dicebatur vermes generantur in pluribus corporis partibus, sed præcipuè in intestinis crassioribus. quare hic etiam locus tanquam causa concurrit ad lumbricos generandos.

Quinto etiam regiones interdum sunt causæ lumbricorum, vndè Theophrastus lib. 9. de historia plantarum cap. vltimo, Armenos Aegyptios, Arabes Ciliciam, & Syriam lumbricis maximè infestari docuit. Ex aduerso autem Traces, & Friges populos, huius mali prorsus immunes esse. Sicuti in Græcia Thebanos lumbricis laborare docet idem, Athenienses vero nequaquam.

Denique etiam tempus vltimo loco ad lumbricorum generationẽ concurrit. Tempus autem generationi dictæ idoneum, vt inquit Hippoc. 2. & 6. epid. est autumnus, anni occasus, & hora vespertina: Autumnus inquam propter fructus, qui in eodem tempore

pore abundant, atque maximè comeduntur: Anni occasus quia tempus id frigidum, atque humidum est. Hora vespertina denique, quia in eadem horà augentur, mouenturque humiditates, sicuti accidit in humidis temporibus, in quibus cruditates multæ procreantur. Et hæc quoad lumbricos sufficiant quatenus spectat ad philosophum, nunc verò ad textum Arist. redeundum est.

DISPVTATIO XXXII.

PAssiuorum autem humidi, & sicci dicendum species} hæc sunt prima verba quę leguntur in principio primi cap. summæ secundæ 4. metheorologicorum Aristot. Nam in principio diximus intentionem Aristot. in 4. libro metheorolog. esse declarare passiones, & effectus quatuor qualitatum, caloris nempe, frigoris siccitatis, humiditatis, & huc vsquę iam examinauit effectus à calore, & frigore proficientes, cuiusmodi sunt generatio, putrefactio, concoctio, inconcoctio, & similia; nunc verò incipit discutere effectus, atque passiones aliarum qualitatum, nempè siccitatis, & humiditatis; (& passiuorum, inquit, humidi, & sicci dicendum species) hoc

est passiones, & effectus, id enim speciei nomine intellexit Arist. vt Alex. interpretatur.

Dicuntur autem subdit ibidem Arist. elementorum proprijssimè siccum quidem terræ humidum autem aquæ) super quæ verba oritur difficultas, quia Aristot. 2. de ortu, & interitu cap. 3. nec non 2. de generat. docet summam humiditatẽ reperiri etiam in aere; ergo non in aqua, neque eidem aquæ proprijssima humiditas est.

Respondetur breuiter, quod vtique ex Aristot. in 2. dicto de ortu, & interitu quatuor sunt, quæ speciem corporibus largiuntur, nempè terra, aqua, aer, ignis, atque terra siccitate potius quam frigore ad id concurrit, aqua frigore magis quam humiditate, aer humiditate potius, quam calore, ignis denique calore magis, quam siccitate. Ergo ex his aer magis humidus, quam aqua negatur, neque id Aristot. docuit: Aer inquit Aristot. concurrit ad mixti generationem humiditate magis, quam suo calore, non tamen aer aqua humidior est; siquidem è contra aqua aere humidior; Aere inquam humidior est aqua, non quidem in actu primo, & intensiuè, nam tot reperiuntur gradus humiditatis in aere, quot in aqua: verum humidior aqua

aere

aere dicitur in actu secundo, & quatenus aquæ humiditas ab eiusdem frigiditate adiutæ maioris actiuitatis est, quam humiditas aeris. Aut proprijssimam dixit Aristot. humiditatem aquæ, & siccitatem terræ respectiuè loquendo, atque in ordine ad terræ siccitatem inquit Augustinus Niphus in commentario.

Quod autem siccitas, & humiditas proprijssimæ qualitates sint terræ & aquæ, probat primo Aristot. ex eo quia terminata corpora hic non sine terra, & aqua sunt. Sed dicet aliquis cur Aristot. dictionem hic in præsenti addit? Vallesius in comment. id factum fuisse ab Arist. inquit, vt exciperet cœlum; quia cœlum quoque terminatum corpus est, ac tamen siccitatis, & humiditatis causa nequaquam id habet: siquidem cælum quinta quædam essentia dicitur cum Aristot. quæ neque aqua est, neque terra, neque aer, neque ignis. Omnia igitur terminata hic, hoc est infra cælum, ex aqua, & terra fiunt. Terminari autem non potest aliquid sine humido, & sicco, quare aquæ, & terræ proprijssimæ sunt qualitates siccitas, & humiditas.

Hanc eandem conclusionem probat etiam

Arist. alia ratione subiungens videlicet inferius in terra, & in aqua animalia solum sunt, in aere autem, & in igne non sunt, quia corporum materia hæc, nempe terra, & aqua. Verum dicet iterum aliquis in principio huius quarti lib. metheorolog. dictum fuit omnia elementa concurrere ad mixti generationem, atque mixtum nihil aliud esse, quam aggregatum quoddam, siue compositum ex quatuor elementis. Quare non solum aqua, & terra materia corporum sunt, sed etiam aer, atque ignis.

Profectò verissimum est non solum terram, & aquam, verum etiam aerem, & ignem esse materiam corporum mixtorum, hoc est materialiter ad mixtorum perfectorum generationem omnia elementa concurrunt: Dicuntur tamen terra, & aqua materia corporum hic ex Arist. quia hæc duo elementa præcipuè cum qualitatibus passiuis mixtorum generationem moliuntur, illa vero nempe ignis, & aer cum qualitatibus actiuis; ideoque illa materia corporum ex Arist. quoque dicuntur, non autem hæc alia duo elementa. Aut materia corporum aqua, & terra dicuntur ex Aristot. quoniam aqua, & terra in corporibus naturalibus prædominium habent

bent, inquit in comment. Aluerniata.

Verum si terra, & aqua in corporibus naturalibus siue mixtis prædominarentur, dicet aliquis, quod sequeretur non posse dari temperamentum ad pondus ευκρατον græcè dictum, ac tamen transeunter saltem tale temperamentum admittitur à cunctis medicis.

Respondetur breuiter respectu aquę & terræ mixtum ευκρατον vtique dari posse non tamen respectu aliorũ elementorum, quamquam alia pariter elementa ad mixtorum generationem concurrant.

Corporalium autem passionum has primas necesse est inexistere terminato, duritiem, aut mollitiem) sunt alia verba Aristot. nempe acturus Arist. de passionibus siue effectibus qualitatum sicci, & humidi in ordine ad corpora terminata, asserit quod hæ passiones sunt durities, aut mollities. Idque probat præcipuè ex eo quia omne mixtum necessario est durum, vel molle, vt subdit ibidem. & quod omne mixtum durum, vel molle sit probat ex eo quia omne mixtum ex humido, & sicco conflatum est: Sed durities, atque mollities à sicco, & humido proficiscuntur. Quare omne mixtum durum, vel molle necessario est.

Contra

Contra hanc verò conclusionem sic fortasse aliquis insurget. Nonnulla dantur, quæ neque mollia, neque dura sunt, ac tamen ex humido, & sicco componuntur, vt exempli gratia oleum, atque vinum; Oleum enim, & vinum dura non esse manifestè conspicitur. sicuti etiam, neque mollia dici possunt cum in se per antiparistasim cedant, quod mollibus repugnat.

Respondetur quod vinum, & oleum vtique mixta corpora sunt; non tamen mixta terminata, de quibus in præsenti loco Arist. loquitur, sed interminata. Aut oleum & vinum, tametsi duritiem, atque mollitiem actu non habeant, potestate tamen maximè obtinere valent, & sic omne mixtum durum, vel molle etiam sit necesse est, vt Aristot. in præsenti docet; sique durum siccius est, vt è contra si est molle est humidius, inquit Gal. 1. de temperamentis.

Cum autem omne mixtum esse durum, vel molle probauerit Arist. ad declarandum quod sit durum, & quod sit molle, deinde transit. & durum inquit est quod non cedit in seipsum secundum superficiem: molle autem quod cedit non circumobsistendo: aqua enim non mollis, non enim cedit compres-

sione

fione fuperficies in profundum, fed circum-obfiftit.

Sed contra has definitiones duri, vel mollis, fic aliquis nunc infurget: nonnulla dantur quæ tangenti cedunt, ac tamen dura funt. Ergo durum non bene definitur quod illud eft, quod tangenti non cedit. Quod autem nonnulla tangenti cedant quamuis fint dura experientia manifeftum eft, quia lapis cedit manui exempli gratia, quando ex eadem manu huc, illucque mouetur.

Refpondetur quod vtique durum illud eft quod tangenti non cedit, fed hæc verba tangenti non cedit non fimpliciter, & feorfim ab alijs intelligenda funt, fed cumulatiuè, & fimul cum alijs fubfequentibus, hoc eft tangenti nòn cedit fecundum fuam fuperficiem, quod de lapide affirmari non poteft. Lapis etenim, & fi cedat manui, atque de loco ad locum moueatnr, attamen non cedit fecundum fuam fuperficiem introeundo, fiquidem fuperficies lapidis ex manu nòn mouetur, fed potius lapis totus.

Sed dices iterum, ventus non cedit quinimo tantum abeft vt cedat interdum, vt ea, quæ tangit de loco ad locum pellat, ac tamen ventus durus nec etiam eft. Qoare falfa eft

duri

duri definitio allata.

Et sanè ventus vtique simpliciter non cedit, attamen neque durus est, quia nimirum cedit quodammodo eiusdem superficies, & quanquam quæ tangit interdum de loco ad locum moueat, nihilominus nec etiam durus appellari potest, sed robustus potius, atque fortis; potest enim aliquid esse robustum, & forte, sed non durum. Sicuti è contra molle tangenti cedit, sed non simpliciter cedens molle est, sed cedens secundum superficiem, vt dicebatur. Et tametsi etiam aliquid interdum è loco moueatur nihilominus haud semper molle hoc est, verum imbecille potius appellari potest. Durum imbecille de loco mouetur à forti molle nonnunquam, cuiusmodi lapis interdum à vento mouetur, & loco pellitur, quia scilicet ventus mollis potest esse fortis, atque lapis durus imbecillis; licet ventus vtpote aer propriè mollis non sit, neque appellari valeat cum cedat tangenti circumobsistendo, & locum permutando potius, non autem secundum superficiem intus eundo, & hæc quoad molle, & durum satis sint.

DISPVTATIO XXXIII.

SVpposito ex Arist. quod omne corpus vel durum, vel molle sit, cumque durum, vel molle concretione fiant de concretione insuper Arist. determinat. Ideoque cap. secũdo sic loquitur. Necesse autem durum, aut molle esse terminatum corpus proprio termino, aut enim cedere, aut non; adhuc concretum esse: Hoc enim definitur. Quare quoniam omne quidem terminatum, & cõsistens, aut molle, aut durum, hæc autem concretione sunt. Omnia vtique erunt corpora, & cõposita, & terminata non sine concretione. De concretione igitur dicendum. Circa quæ verba occurrit statim dubitatio, ex eo quia in 2. de ortu, & interitu legitur, quod omnis concretio induratio est quædam, & omne concretum est durum. Ergo molle, & durum non bene dicuntur hoc loco esse per concretionem.

Respondetur breuiter, vtique ex Aristot. concretionem indurationem quandam esse, quemadmodum Gal. etiam docet lib. 1. de simpl. med. facult. Ergo omne concretum est durum negatur. Nam caro, & lana concreta sunt,

ſunt, & tamen mollia ſunt abſolutè, licet cũ liquidis ſi conferantur duritie prædita quoque ſint.

Sunt itaque cauſæ, quæ circa materiam duæ agens,& paſſio. Agens quidem, vti vnde motus: paſſio autem,vt forma. Quare,& concretionis, & diffuſionis, & exiccationis, & humectationis. Agit autem agens duabus virtutibus, & patitur: patiens paſſionibus duabus, ſicut dictum eſt. Agit quidem calido, & frigido: paſſio autem,aut præſentia, aut abſentia calidi,& frigidi) De concretione videlicet agendo Ariſt. prius incipit à cauſis, & cauſas eiuſdem concretionis inquit eſſe tres, nempe materiam, formam, & efficientem, hoc eſt cauſam materialem, formalem, efficientem. Efficiens rurſus agit duabus virtutibus, nempe calido, & frigido, frigidumque concretionem efficiendo paſſiuorum magis eſt ſubdit ibidem Ariſt. ſiquidem frigus actiuum eſt, vel actiua qualitas dicitur vt corruptiua, & per accidens.

Sed dicet aliquis in præſenti, dicebatur ſuperius in principio 4. lib. huius metheorol. quatuor eſſe primas qualitates, nempe calorem, frigus, humiditatem, ſiccitatem, atque ex his duas eſſe actiuas, nempe frigus, & calor,

lor, duas vero esse passiuas, vt sunt humiditas, atque siccitas. Cum ergo ex Arist. calor sit qualitas per se actiua, etiam frigus per se actiua qualitas erit, non autem ex accidenti, vt hic dicitur.

Respondetur quod frigus, vt frigus, atque per se consideratum actiua qualitas est: vt enim calor per se calefacit, ita etiam frigus per se frigefacit: dicitur autem in præsenti per accidens actiua qualitas non quidem per se consideratum, sed in ordine ad cōcretionem, quæ in mixto accidit; quam quidem concretionem per accidens quoque efficit, sicuti, & per accidens vrit interdum frigus, atque calefacit, nempe ratione antiperistasis, & quatenus causa retractionis est caloris in interiora mixtorum. Est autem in iuuene benè carnoso inquit Hipp. 5. aph. 21. Vbi conuulsio sine vlcere æstate media frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat, calor autem hæc soluit, nulla quidem inquit Gal. in com. alia ratione, nisi quoniam frigus facit antiperistasim atque caloris retrocessum ad partes interiores, calor autem interius auctus humidum rrsoluit, & sic tetanus atque etiam conuulsio à frigore per accidens sanantur.

Ad quæstionem verò nunc redeundo frigus

gus in ordine ad concoctionem quo modo passiua qualitas atque per accidens ex Arist. dicitur? an sola antiparistasi, atque humidi partes tenuiores resoluendo? Profectò vt calidum, atque humidi partes tenuiores resoluendo, vel exiccando frigus concretionem efficere, inquit Aristot. in præsenti vt ego existimo, haud negando tamen quod alijs etiam rationibus eandem cõcretionem efficere valeat, siquidem frigus cũ sicco per se exiccat; tametsi enim siccitatem, vel humiditatem passiuas qualitates dixerit Aristot. superius, nihilominus id in ordine ad mixti generationem intellexit, cum alias sicuti calor per se calefacit, ita etiam siccitas per se exiccat, & humiditas humectat. Amplius frigus, atque sine siccitate etiam per se interdum exiccat, atque concretionem efficit, non quidem humidi resolutione, vt supra asserebatur, atque per antiperistasim calorem augendo, sed partes constipando, vel cõstringendo, vt in aqua congelata manifestum efficitur.

Sed dices si concretio à frigore absque siccitate accidit interdum: Ergo falsò Gal. lib. 1. de temperamentis, molliora inquit humidiora sunt, sicuti dura ficciora, quia scilicet durum

rum à ſiccitate oriatur cum in præſenti à ſolo frigore,& abſque vlla ſiccitate concomitante nonnunquam fiat.

Reſpondeo, & finem impono huic diſputationi Gal. indiſtinctè loquutum fuiſſe, atque vt plurimum, non autem id ſemper intelligendo. Nam aliàs niſi adſit vehemens calor, aut frigus addidit, ſiquidem vehemens frigus indurandi virtutem per ſe habet, quãquam frigus idem indurando aliquam inducat ſiccitatem ſententia mea,& cum aqua cõgelatur,aliqua etiam ſiccitas in eadem aqua à frigore inducitur, ſaltem extrinſecus, cum experimento clarum efficiatur gelidam, congelatamuè aquam grauiorem eſſe non congelata; quia ſcilicet à frigore conſtringente tenuiores partes reſoluuntur atque humidiores, ſiccioribus, atque craſſioribus remanentibus.

DISPVTATIO XXXIV.

DE concretione adhuc agens Ariſt. Concreſcunt, inquit, in eodem cap.2. ſummæ 2.4. lib. metheorolog. quæcunque concreſcunt, aut aquæ exiſtentia, aut terræ, & aquæ, & hæc aut à frigido, aut calido ſicco;

quapropter,& ſoluuntur contrarijs quæcunque ſoluuntur concretorum à calido, aut frigido.) Circa quæ verba oritur ſtatim dubitatio,cur aquea,& terrea ſolummodo cõcreſcant,non autem aerea. Nam calor, & frigus cauſæ concretionis ſunt ex Ariſt. in præſenti loco, ſicuti etiam,& ſuperius docuit. Aer vero, & à frigido, & à calido pati poteſt, ergo etiam concreſcere. Reſpondetur breuiter, quod aer dum concreſcit euadit aqua, poteſt enim concreſcere etiam aer, ſed formã ſuam amittit, dum concreſcit, atque aqua euadit; hac ratione,aut aquæ exiſtentia, aut terræ, & aquæ concreſcunt quæcunque concreſcunt.

Cauſæ verò concretionis ſubdit ibidem Ariſt. ſunt calor, & frigus, ideoque à frigido concreta calore liquantur, ſicuti à calido cõcreta liquantur frigore. Circa quæ alia verba breuiter etiam dubitabit aliquis, nam tres cauſas concretionis aſſignauit ſuperius Ariſt. frigus videlicet calorem,ſiccitatem: liquationis autem in præſenti duas ſolummodo ait, nempe calorem, & frigus,cur ergo non addit tertiam? Reſpondetur Ariſtotelem cauſam concretionis dixiſſe ſuperius eſſe calorem nõ quidem per ſe, ſed cum ſiccitate: concreſcere etenim facit calor, quatenus exiccat, vel ſiccitatem

citatem

citatem inducit. Atque ita non tres, ſed duas tantum concretionis cauſas eſſe Ariſt. docuit. Sicuti etiam, & duæ ſunt cauſæ liquationis, atque à calido concreta frigore liquantur, & concreta à frigore liquantur calido, iuxta illam ſententiam medicorum contraria contrarijs. Sed dicet fortaſſe aliquis in hac re de concretione non valere medicorum allatam ſententiam contraria contrarijs: ſiquidem concreſcunt interdum nonnulla à calore, & frigore non liquantur, vt in luto exempli gratia apparet: concreſcit enim lutum virtute ignis, vel calore ſolis, & tamen frigore ſimplici non liquefit, niſi cum frigore miſceatur etiam humiditas. Reſpondetur lutum à ſole concretum non fuiſſe à calore ſolum concretum, ſed à calore vt ſicco: ſiquidem calor ſolis intantum concreſcere facit lutum quatenus ab eodem reſoluuntur partes tenuiores, atque humidiores; quare lutum in hoc caſu à ſiccitate concreſcit, non autem à calore ſolum, & propterea humidum quoque requiritur, ad eiuſdem liquationem; ſicuti etiam ſal concreſcit quidem à calore, ex humido verò liqueſcit eadem ratione, non autem à frigore.

Sed cum ea, quæ concreſcunt à ſicco ex hu-

mido liquefiant, vt dictum est, atque ex humiditate colliquata siccitate concrescant. Cur ergo dicet aliquis mel humidum in aqua densatur, & in aqua calida?

Respond. Arist.& si humidum mel in aqua calida concrescat, id tamen non accidit, inquit ipse quia aqua calida sua humiditate id agat. Verum ex eo id sequitur, quòd in ipsa est frigidum. Et frigus, inquit Arist. quod in aqua calida potestate reperitur causa est cõcretionis mellis. Miratur Vallesius in com. hanc doctrinam Aristotelicam, & non sine ratione profectò, cum aqua feruens secundũ illas qualitates agat, quas in se tunc habet, nempe vt calida actu est, non vero potestate frigida causa concretionis mellis erit. Sed de hac re non est huius loci pluribus agere, satis sit quod causæ concretionis, & liquationis contrariæ sunt, atque contraria à contrarijs fiunt, vt medicè superius affirmabatur.

Sed dicet iterum aliquis, nix, exempli gratia, à frigore concrescit, liquatur vero ab humido interdum, quod tamen non est contrarium frigiditati, ac proinde non contrariæ sunt semper causæ concretionis, & liquationis.

Respondetur, id accidere fortasse ex eo quia,

quia, vt in glacie dicebamus superius etiam in niue sit aliqua mixtio siccitatis, & propterea ex humiditate contraria liquefit, atque ita causæ concretionis, & liquationis contrariæ semper sunt, vt optimè Aristot. in textu asserebat.

DISPVTATIO XXXV.

QVæcunque igitur sunt aquæ non concrescunt ab igne) Subdit Arist. in eodem capite 3. dixerat enim superius, quod quæcunque concrescunt, alia quidem concrescunt à calore sicco, hoc est ab igne, alia verò à frigore, in præsenti ergo accedit ad declarationem in particulari eorum, quæ concrescunt ab igne, & eorum quæ à frigore; & primum incipit à concrescentibus virtute frigoris, & ait quod quæcunque sunt aquæ, hoc est magis participiant de elemento aquæ virtute ignis non concrescunt. Idque probat præcipuè experientia, siquidem quæ sunt aquea virtute ignis liquantur, vt nix grando, atque alia huius generis.

Sed dicet aliquis aqua maris virtute caloris in salem coagulatur, ergo aquea virtute ignis concrescere maximè possunt.

Respondetur, vtique ex igne, atque ex virtute caloris solis aqua maris in salis formam conuertitur. Sed aqua maris, inquit Vicomercatus, propriè aqua appellari non potest, cum non polleat facultatibus propriæ aquæ, & neque humectet, atque refrigeret, sed potius contrarias obtineat facultates, vt Gal. lib. 1. de simpl. med. facultatibus docet. Aut dicemus aquam maris concrescere à sole non quidem vt calido, vel vt calefaciente, sed potius vt exiccante.

Quapropter, & non incrassantur talia concocta; Incrassatio enim humido quidem abeunte fit, sicco autem consistente. Aqua autem humidorum non incrassàtur sola, sunt alia verba Arist. scilicet quæ aquea sunt si concreta sint non dicuntur incrassata, nam incrassatio humido abeunte fit, & sicco consiuente. Concreta autem aquea licet condensata humidà tamen sunt, & ideo crassa appellari non possunt. & quod aquea non crassescant probat Aristot. alia ratione, nempe quia aqua ipsa humidorum non incrassatur, vt in superioribus cum Aristot. diximus, cum de concoctione sermo erat, & ideò neque aquea dum sunt concreta possunt appellari incrassata.

Contra

Contra hanc vero propositionem, quod aquea non crassescant, licet concrescant dubitabit aliquis cum eodem Arist. qui 1. metheorolog. dixit vapores incrassari à frigido mediæ regionis, atque in pluuias conuerti: certum autem est, quod vapores sunt aquei, vel aquæ participes, ergo etiam aquea incrassari possunt, & falsum est quod aquea non incrassantur, vt in præsenti docet Arist.

Respond. incrassari propriè, vel impropriè dici, nempe interdum incrassari pro inspissari, & condensari accipitur, & hac ratione etiam aquea incrassantur, sed impropriè incrassata dicuntur. Alio vero modo incrassatio sumitur pro perfectione, quæ digerendo acquiritur, cuiusmodi incrassatio elixatio est, quæ fit resolutione partis humidioris, & sicco remanente, & hæc propriè incrassatio est, qua eadem ratione aqua congelata non dicitur incrassata, quia nullum in aqua siccum reperitur, sed dicitur densata atque inspissata. & dum dicitur quod vapor incrassatus transmutatur in aquã, sensus est quod transmutatur vapor condensatus, siue inspissatus: Aristot. autem in præsenti loco, vt dixi de propria incrassatione loquitur, quæ digestio est, atque humidi resolutione celebratur.

At quid intereſt dicet aliquis inter incraſſari, atque denſari, cum omnia craſſa etiam denſa videantur? Sanè inter hæc duo denſum, & craſſum differentia clara eſt; nam craſſeſcere dicitur aliquid ſi ſit tenuium partium, & in quandam magnam partium ſubſtantiam permutetur, vt contingit, quando ex aqua fiat terra. Idque accidit ex Ariſt. in ſuperioribus partium humidarum euaneſcentia remanentibus ſiccioribus, atque terreis.

Denſum autem poteſt fieri aliquid, non partium humidarum reſolutione, ſed inſpiſſatione, vt quando conſtipatis partibus res denſiores efficiuntur. Amplius denſum eſt cõtrarium raritatis, & maximè conſiſtunt hæc duo in amplitudine, & in anguſtia pororum, poris partium corporis dilatatis corpus rarũ affirmatur; anguſtatis autem, atque conſtipatis dicitur denſum. Craſſities autem, vel tenuitas conſiſtunt in propria partium ſubſtantia; ſi ſcilicet aereum ſit corpus dicitur tenue, ſi terreum craſſum appellatur, & ſic de alijs. Aqua igitur, & aquea non incraſſantur dum congelantur cum Ariſt. ſed denſari potius affirmanda ſunt.

Quæcunque igitur mollia ſed nõ humida non

non incraſſantur, ſed concreſcunt exeunte humido, velut aſſatum fictile, ſequitur deinde Ariſt.) circa quam concluſionem dicet aliquis, cur mollia non incraſſantur? Sed primo ſciendum eſt quid dictione mollis intelligat Ariſtot. nam communiter mollia intelliguntur non liquida, vt later, exempli gratia, antequam concoquatur mollis eſt, ſed non humidus, ideſt non liquidus. Mollia igitur, inquit Ariſtot. non craſſeſcunt, ſiue incraſſantur, ſed concreſcunt. Siquidem incraſſatio reſolutione partium tenuium humidi celebratur remanentibus craſſioribus, quæ deinde craſſiores partes miſcentur, cum portione ſicci, & ſic incraſſatio fit, quæ rebus mollibus accidere non poteſt, ſed humidis, quia mollia parum humiditatis in ſe habent, & plus ſiccitatis itaut non poſſit fieri mixtio humiditatis cum ſiccitate, quare hæc propriè non incraſſantur, ſed concreſcunt. Incraſſantur autem quæcunque humidi multum in ſe ſe continent, vt lac, exempli gratia, & huiuſmodi alia; lactis enim humiditas cum ſiccitate miſceri valet, atque craſſeſcere: in latere autem molli quoniam ſiccitas excedit, ſi humiditas reſoluatur ſola ſiccitas remanet, atque ita licet lateres duriores à concretione

molles

molles efficiantur, tamen crassiores non euadunt, verum tenuiores potius, & sic mollia non crassescunt, sed concrescunt vt Aristot. optimè docuit.

Multa autem, & humectantur primo quęcunque aut crassa, aut dura à frigido praextiterint, quemadmodum, & fictile primo, dum assatur euaporat, & mollius fit, quapropter, & inuertitur in fornacibus.) Nõnulla haud solũ incrassantur inquit cum his verbis Arist. sed potius eliquantur, dum igni apponuntur, vt in lateribus accidit, dum primo concoquuntur; & ratio est cum eodem Arist. quoniam lateres primo à frigido concreti erant, & quæ à frigido concrescunt calore soluuntur. Vnde summa etiam ratione Medici in grumis sanguinis, in pituita congelata, & alijs similibus, incidentibus, atque attenuantibus pharmacis vtuntur, nempe oximelite syrupis de quinque radicibus, & alijs tenuium, atque calidarum partium medicamentis; nimirum quia pituita frigiditate concreta, caloris vi attenuatur, atque liquescit.

Sed cum incidentia medicamenta attenuent, atque crassitiem humorum tollant, vtrum dicet aliquis omnem aliam crassitiem curare valeant? Nam duplex est crassities, alia

alia quidem, quæ fit per veram mixtionem, atque præcedente cõcoctione, alia verò quæ non fit per veram mixtionem, ſed per impropriam, & abuſiuè dictam, cuiuſmodi eſt craſſities in vrinis interdum, cum ſcilicet non incraſsatur vrina mutatione totius ſubſtantiæ, & vera mixtione, ſed tantummodo alicuius craſſi humoris mixtione, in quo caſu vrina vtique craſsa appellatur, ſed non propriè, nam propriè craſsa vrina naturalis eſt non præternaturalis; Vnde ad quæſtionem redeũtes craſſities illa medicamentis incidentibus curatur, quæ impropriè craſſities eſt, & quæ haud mutatione totius ſubſtantiæ accidit, atque mediante vera mixtione, vt melius Valleſ. etiam docet in com. præſentis textus.

Sed cnm ſermo ſit in præſenti de incidentibus medicamentibus quæret aliquis vtrum debeant à medicis offerri pro curatione aliquorum morborum: nam pro curatione celebranda humorum craſsorum, vtique ab omnibus medicis offeruntur. Ex altera vero parte concoctio incraſſando fit, vt in ſuperioribus dicebamus. ergo pro concoctione humorum craſsorum incidentia non ſunt opportuna, ſiquidem attenuant incidentia, non vero incraſsant. Reſpondetur veriſſimum eſ-

se quod concoctio incrassando celebratur. Verum adhoc vt concoctio melius, atque perfectius fiat, interdum incisio rei concoquendæ maximè necessaria est, quemadmodum experientia patet, atque in superioribus asserebamus.

DISPVTATIO XXXVI.

POstea quæ superius explicauimus hæc loquitur Arist. in eodem cap. 3. summæ secundæ 4. lib. metheorolog. Quæcunque autem propter infrigidationem, & calido coeuaporante omni hæc insolubilia sunt, nisi superabundet caliditas, sed mollificantur velut ferrum, & cornu) Dixerat enim Aristot. quod quæ incrassantur à frigore soluuntur à calore, & è contra. In præsenti autem inquit nonnulla etiam dari, quæ insolubilia sunt vt quæ concretionem habent à frigore, & à calore simul, ea quidem insolubilia sunt, hoc est non liquantur, aut difficilè colliquantur vult dicere Arist. sunt vero huiusmodi exempli gratia, lateres, vel vasa, quæ à figulo primum frigore, deindè etiam igne indurantur, quæ etiam ex tali à contrarijs concretione indissolubilia redduntur; fabri etiam ferrarij cum

cum aliquod metallum iam ex igne expurgatum magis durum efficere cupiunt in frigidam aquam immergunt: atque ita, & à frigido, & à calido, ſucceſſiuè tamen, nonnulla concreſcere valent, & quæ tali pacto concreſcunt mixta non liquabilia ſunt, aut ſaltem difficilis liquationis redduntur. Ea autem, quæ à calido, & frigore concreſcunt non æqualiter id habent, ſed nunc à calido, nunc vero à frigore magis, & ſi fortè fortuna accideret, quod temperatim ex vtroque concreſcerent aliqua mixta, nempe à calore, & frigore in æquali gradu, mixta hæc omnino indiſſolubilia eſſent, aut ſaltem difficillimæ liquationis. Mixta igitur, quæ à frigore, & calore concreſcunt, non facilè ſoluuntur, & ſi fortè ſoluantur à frigore & calore, etiam magis ſoluuntur prout de ijſdem magis, vel minus quoque participant; Nam quæ aquea sũt liquantur magis à calido, quæ vero ignea à frigido. Vnde metallum, quod aqueum eſt magis à calore ſoluitur, vt in ſuperioribus dictum fuit.

Liqueſcit autem, & lapis pyrimachus, vt ſtillet, & fluat, quod autem concreſcit cum fluxerit iterum fit durum) ſubdit ibidem Ariſtot. Pyrimachus lapis iuxta Dioſcoridem

lib.5.

lib.5.cap.134.est lapis ille, à quo æs extrahitur. Hic autem lapis primum igne liquescit, deinde vero liquescentes partes frigore congelatæ durescunt, atque fit æs. Lapis etiam, à quo ferrum extrahitur primum igne dissoluitur, nempè partes ad aquam pertinentes primum liquantur, deinde vero eædem ab alijs separatæ frigore concrescunt, atque ferrum efficitur. Sal in oleo non liquescit inquit subinde Arist. quia scilicet oleum humidum calidum est. Sed cur dicet aliquis in aqua calida liquesit sal? Quare non semper in humido frigido, liquescit sal. In humido frigido saltem potestate in aqua calida erit sal. In oleo autem non liquesit sal idem inquit Vallesius in commentario, quoniam id quod in aqua dissoluitur & liquescit salis aqua est, aqua autem cum oleo natura pingui,& oleaginoso haud benè miscetur. Et ideo neque etiam in oleo liquescit sal.

Maximè autem dubiè habet olei natura, sunt alia verba Arist. nam oleum neque frigore,neque calore concrescit. Dubitabit autem aliquis vult dicere nunc Arist. cur id accidat? Atque id accidere subiungit quoniam oleum aereum est; quodque sit aereum probat manifestè ex eo quia in aqua iniectum

super-

supernatat. Quare leuioris elementi est quam aqua, & per consequens inconcretile, siue indensabile est. Nam à frigore condensantur quæ aquea sunt, vt dicebatur superius, à calido vero quæcunque terrea, sed oleum, neque terreum, neque aqueum est. Ergo oleum neque à calido, neque à frigido concrescit. Tametsi oleum non concrescat, neque à frigore, neque à calido, nihilominus subdit Arist. à frigore, & calore idem oleum crassescit, nempe à frigore oleum humore aereo densato, & in aquam permutato, à calido vero propter resolutionem partium tenuiorum, remanentibus crassioribus. Sed oleum concrescere, atque densari non posse à frigore, vt inquit in præsenti Aristot. non videtur omnino verum, nam in regionibus frigidis, in constitutione boreali oleum concrescere experientia clarissimum est. Vnde Vallesius in com. oleum inquit non concrescit à frigore, cum dixit Arist. difficilè concrescere intellexit, non autem quia verè, & realiter non concrescat.

Quæcunque igitur non incrassantur à frigore, sed concrescunt aquæ sunt magis, vt vinum, & vrina, & acetum, & lixiuium, & serum. Repetit cum his verbis Aristot. id quod

paulò

paulò supra edocuerat, aut quid simile superius dictis, scilicet ea, quæ frigore concrescũt, & non crassescunt ad aquam pertinere, quia aqua non crassescit, vt lotium, acetum, lixiuium, & alia his similia sunt. Verum dicet aliquis statim, sicuti etiam, & alibi hanc difficultatem in medium adduximus, apud Medicos vrinas frequentissimè crassas appellari, & præsertim apud Hipp. in epid. in aph. & alijs quamplurimis in locis. Ergo etiam aquea crassescunt contra id, quod Arist. edocuerat. Respondeo tamen breuiter quod propriè, vel impropriè dicitur crassities; crassescunt verò propriè quæ per euaporationem partium tenuiorum crassescunt. impropriè verò crassescunt, siue crassiora nõnulla impropriè euadunt cum partes substantiæ alicuius aqueę confunduntur, nempe tenue cum crasso cum simul miscetur, & hac sanè ratione vrinæ crassescunt, hoc est impropriè crassæ ex medicis appellantur. Aut dicemus supradicta aquea, nempe lotium acetum, lixiuium, & serum non crassescere dixisse Arist. hoc est difficile crassa euadere.

Alia verba Arist. in eodem cap. hæc sunt. Quæcunque autem incrassantur non euaporantia ab igne hæc quidem terræ, hæc autem commu-

communia aquæ, & aeris sunt: mel quidem terræ, oleum autem aeris, & aquæ. Sunt autem, & lac, & sanguis amborum quidem cõmunia, & aquæ & terræ, magis autem plurimum terræ, quemadmodum & ex quibuscunque humidis nitrum fit, & sal, & lapides quoque ex quibusdam constant talibus. Quapropter si non separetur serum exuritur ab igne decoctum. Nempe inter ea quæ mixtæ naturæ sunt, hoc est aquea & terrea, Aristot. paulò supra lac recensuit, quod autem lac mixtæ naturæ sit, probat nunc Aristot. ex eo quia cum elixatur inquit serum si non separetur ab igne elixante exuritur. Crassescit inquam lac propter terreas partes, quæ virtute ignis resoluentis partes tenuiores remanent. Atque propterea etiam lac sine caseo existẽs difficile incrassari potest: Terreum enim lac euadit magis, dum crassescit, & quæ ad crassefaciendum lac idonea sunt terra quoque magis existunt, vt coagulum præcipuè apud omnes tale reputatur. Eadem ratio lactis est etiam sanguinis dum coagulatur nempe sanguis coit, vel crassescit causa terrearum, crassarumque partium: quique sanguis tenuis est, nec etiam coit, is aqueus pariter est, neque crassas partes in se cõtinens; sicuti exem-

pli gratia sanguis ceruorum est, atque damarum. tales enim magis aquæ sunt, & frigidissimi inquit Arist. in præsenti loco: quapropter non habent villos, villi enim sunt terræ, & solidum, quare & extractis non concrescunt; hoc autem est quia non exiccantur, aqua enim est quod relinquitur, vt lac caseo ablato. signum autem est morbosi enim sanguines nolunt concrescere saniosi enim, hoc autem est pituita, & aqua, propterea quod inconcoctum est, & insuperatum à natura.)
Ex quibus Aristot. nunc dictis de sanguine. Primo colligitur quod sanguis ceruorum frigidus est aqueus neque coit, vt idem quoque legitur 2. de partibus animalium cap. 4. Verum ex altera parte secta vena cerui sanguis, qui exiuit coiuit, vt mihi experientia patuit. quare non coit sanguis ceruorum, hoc est difficile coit intelligendus est Arist. Secundo sanguis, vel cum villis, vel sine villis est, cum villis, est terreus, & solidum quid habet, docet ibidem Aristot. solidum nempe quid habet, hoc est fortè, & robustum. Vnde etiam Plin. lib. 11. cap. 38. sanguis, quibus pinguis, & multus iracundia. animalium fortiora quibus sanguis crassior, timidiora, quibus minimus, sapientiora quibus tenuius. Morbosi enim

enim sanguines nolunt concrescere subdit tertio loco Aristot. saniosi enim hoc est pituita,& aqua. Ego sanè pluries experientia id compertum habui, & quoties sanguinem sine villis,neque concretum vidi, semper ferè periere, aut cum difficultate ægri fuere valetudini restituti: nuper in Seminario Romano habui Illustriss. Comitem Ilcinensem, ex febre,& variolis correptum,cui etiam ante tertiũ diem misso sanguine, hic sine villis, & non concretus, & aqueus erat, perijt ergo die septima, si rectè memini. Quare morbosus est sanguis, qui non coit, saniosus enim inquit Arist. & pituita solum, & aqua, quæ causa materialis potissima putrefactionis sũt, vt in superioribus affirmabamus. Essent nunc examinãda nonnulla alia circa passiones mixtorum, de quibus cum in superioribus satis superque actum sit, non est quod circa particularia tempus conteramus; præsertim vero cum Aristot.verba clarissima etiam sint,itaut nulla alia egeant explicatione. propterea de his agere in præsenti relinquo, & ad librum secundum de anima me confero.

VRBANÆ DISPVTATIONES IN II. LIB. ARISTOTELIS DE ANIMA.

IOANNIS MANELPHI Eretani Sabini.

DISPVTATIO I.

INTER cœteras Philoſophiæ Ariſtotelicæ partes, quæ ſanè plures ſunt, atque omnes admirabiles, & illuſtres, illa mihi præ cœteris ſemper placuit, in qua de Anima pertractatur. De anima ſcilicet omnium formarum digniſſima, nobiliſſima, perfectiſſima. Quare Ariſtoteles 3. de anima cap.8. non dubitauit aſſerere, quod qui dicit animam dicit omnia: & Xenophanes lib. 1. περὶ ἀπομνημ ψυχὴν dictionem, hoc eſt animam, totum hominem interpretatur. quemadmodum Hippocr. in lib. de carnibus, vel de principijs inſcripto, & alibi, eadem dictione Græca ψυχὴ, aut calorem innatum

intellexit, aut facultatum, & motionum naturalium essentiam, aut primorum corporũ cuiusque temperiem, vel totum corporis habitum, vt Phœsius in verbo recenset. Quare, vt ille etiam asserebat, sciens animam, aut animæ scientiam possidens, omnia pariter scire affirmari potest. Est autem scientia de anima præcipuè vtilis, & necessaria ad Medicinam, siue artem medicam, tum perdiscendam, tum etiam exercendam, atque præsertim pars illa, quæ in 2. de anima inscripto habetur; vbi cuiusque animæ operationes explicantur, quarum conseruationi, & restaurationi medicina instituta fuit: affectus enim interni capitis, exempli gratia, dolor, vertigo, lethargus, catalepsis, phrænitis, mania melancholia, memoria diminuta, siue deperdita, absque animæ sensitiuæ, & intellectiuæ scientia, curari minimè possunt; sicuti etiam oculorum affectus præter naturam, deprauata, diminuta, vel abolita visio, surditas, linguæ incontinentia, & mutitas, aut alij etiam similes morbi, atque sympthomata eiusdem animæ cognitionem maximè postulant. Inferne vero, sitis, & fames præter naturam, inappetentia, ventris profluuia, vel aliæ præternaturales affectiones, vegetantis

animæ

animæ ſcientiam, atque perfectam cognitionem requirunt. Quare cum ſcientia de anima tanti valeat, atque adeo etiam neceſſaria ſit, eademque in ſecundo de anima dicto habeatur, & præſertim pars illa, quæ Medicinæ inſeruit, & tot morborum curationibus neceſſaria eſt: propterea librum ſecundum de anima inſcriptum Ariſt. mihi in præſentia elucidandum propono.

Atque ex ijs quæ magis vniuerſalia ſunt exordia ſumens, quia omnis demonſtrationis principium eſt ipſum quid eſt per Ariſtotelem lib. 1. de anima contextu vndecimo, de eadem ipſe acturus ſiue animæ ſcientiam traditurus ex eiuſdem definitione incœpit. Et quoniã omnis definitio eſt ratio ipſius quod quid erat eſſe, antequam tradat eiuſdem animæ definitionem, prius de illius eſſentia nonnulla præfatur, atque vt videre eſt in lib. 1. Antiquorum ſententias refert pariter & diſcutit. Democritus enim primo, ignem, & calorem dicit eſſe animam infinitis exiſtentibus figuris, & atomis, ſpeciei rotundæ; ignis nimirum quicumque minimè erat anima apud Democritum, ſed atomaticus, vt ita loquar, & ex ſuis corpuſculis reſultans, cum omnia, & quæcunque in mundo ſunt, eiuſ-

dem sententia, ex atomis componantur, atque perficiantur.

Opinioni Democriti vehementer adhæsit Leucippus, ea de causa affirmans rectè fuisse dictum à Democrito, quod anima constaret ex atomis, quia cum anima cuiusque motus animalis causa esse debeat, ad motum quippe efficiendum, corpuscula dicta sunt maxima apta; adeo nempe, hi magni Viri huic opinioni addicti erant, vt sine ijsdem corpusculis, nec esse, nec fieri aliquid posse affirmauerint. Quid enim (dicebat amplius Leucippus) vitam esse putatis, nisi dictorum atomorum motum? mors etiam quid est aliud quam motus eorundem prohibitio? Respiratio insuper, & expiratio, eorundem atomorum introitus, & exitus sunt; nempe cum expirant animalia atomi è thorace, & pulmonibus expelluntur, cum autem respirant alij denuò intus trahuntur. Putabant enim, sibique persuadebant Democritus, & Leucippus, Orbem vniuersum ijsdem ex atomis constare atque componi. Erant autem Democriti atomi, vt perbenè describit Cœlius Aurelianus primo acut. cap. 14. corpuscula intellectu cognita sine vlla qualitate, diuisibilia in infinitum, quæ inter se coeundo, & con-

& coniuncta, vel separata, sensibilia omnia facerent, & componerent.

Archelaus animam haudquaquam putauit corpuscula esse, sed virtutem potius illam, quæ animal mouet, vt etiam quidam Pithagorici asseuerarunt; ipsam vero animam se, & ex se mouere adiungentes.

Anaxagoras cum his in parte sensit, dissensit autem in eo, quod intellectum & animam idem esse assereret, atque intellectum haud quaquam; vt animæ potentiam consideraret, ipsam verò animam immobilem constituit, tametsi causam motus in animali, incorruptibilem, & Diuinum quid siue supernaturale; quæ verba in hac parte Christiano homine sunt maximè digna, nec vllus ex Antiquioribus Phylosophis circa animæ essentiam adeò veritati cohæruit sententia mea, vt sapientissimus Anaxagoras.

Empedocles, qui rerum omnium naturalium principia sex esse voluit, nempe terrã, aquam, aerem, ignem, litem, & amicitiam, animam nil aliud esse dixit, quam aliquid ex his omnibus principijs resultans; mixtum videlicet quoddam ex dictis omnibus conflatum; & sic quatenus anima constat ex aqua, aquam cognoscere voluit, quatenus ex igne,

ignem,

ignem, quatenus ex lite, litem, & sic de alijs.

Suis insistendo principijs Diuinus Plato in Thimeo, quæ duo sunt nempe diuersum, & idem, animam nil aliud esse voluit, quam mixtum ex his duobus compositum, atque vt constans ex diuerso diuersa cognoscere, & vt constans ex eodem cognoscere idem.

Diogenes sicuti aerem cunctorum principium esse dicebat, ita etiam & in hoc animã consistere. Alchmeon vniuersaliter loquendo, quid immortale eam vocauit. Thales primus philosophus naturalis, quem etiam Hippocr. fuit sequutus, animam dixit esse aquã, & reprehendendo Critiam idem Hippocr. vtpote qui in sanguine animam consistere asserebat, anima inquit sanguis affirmari minime potest, quoniam sanguis cum genitura similitudinem nullam habet. itaque vel genitura, aut aliquid genituræ simile est anima apud Hipp. nempe aqua, vti refert etiam ac reijcit Aristoteles in primo de anima. Et hæc sunt quæ sapientissimi illi Viri, atque primæ sectæ philosophi, circa animæ essentiam allucinati, protulerunt, quæ omnia Aristoteles in primo de anima recensendo refellit.

His autem omnibus ex Aristotele premissis,

sis, tandem ad quid sit animæ se confert, & lib. 2. tex. 6. Anima, inquit, est actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis. Actus primus inquam, non temporis prioritate (nam ante animam plures alij præexistunt actus in corpore naturali) sed actus quidem primus prioritate dignitatis, vel potentię, cum reliqui omnes actus eidem animæ subiaceant, & quodammodo inseruiant.

Verum contra hanc definitionem sic dubitabit, fortasse aliquis: quod est actus materiæ primæ, non est actus corporis, nam prima materia non est corpus, sed anima est actus materiæ primæ, ergo non est actus naturalis corporis, vt in indefinitione dicebatur. Quod sit actus materiæ primæ constat ex Aristot. 3. de anima contex. 81. vbi ait, formam substantialem esse actum materiæ primæ. Anima verò forma est substantialis, quare est actus materiæ primæ, & non corporis naturalis organici.

Secundò actus corporis naturalis est ipsa natura, sed anima non est natura, ergo neque actus corporis naturalis, vt ex Aristotele definitur.

Tertiò vnius, & simplicis formæ non potest

test esse nisi vnum atque simplex subiectum, nam aliàs formæ non esset subiectum proportionatum, vt semper requiritur, sed anima est forma vnica, atque simplex, ergo simplicis corporis actus est, non autem organici. Et tandem contrà vltimo loco dicta. Quod actu viuit non est impotentia ad vitam, sed corpus naturale, cuius anima actus dicitur, actu maximè viuit, ergo in potentia non est ad vitam.

Hæc, & huiusmodi alia contra allatam Aristot. definitionem de anima afferri possent; quibus tamen omnibus non obstantibus, asserendum est, animam esse actum primum corporis naturalis organici potentia vitam habentis, vt communiter omnes philosophi profitentur, neque id vlla alia indiget probatione. Non obstant autem quæ in contrarium afferebantur: nam ad primum argumentum. Quod est actus materiæ primæ non potest dici actus corporis, sed anima est actus materiæ primæ, ergo actus etiam corporis nequaquam esse potest. Breuiter respondetur, quod ex formis substantialibus, aliæ sunt immediatè informantes materiam, aliæ vero mediatè; anima est actus mediatè informans materiam primam, non vero immedia-

mediatè, cum corporeitate mediante informet; formæ autem immediatè informantes materiam primam, inanimatorum formæ sunt.

Secundò, corporis naturalis forma natura est dicebatur, sed anima non est natura, quare anima male definitur actus corporis naturalis organici. Respondetur, naturam iuxta Arist. 2. physicor. tex. 30. definiri principium mouendi, & quiescendi in eo, in quo est, sed anima est huiusmodi, ergo anima vtique est natura, & per consequens actus primus corporis naturalis organici.

Tertiò, anima est simplex forma; ergo simplex subiectum tantũ informare potest. Respondetur, quod actus simplex multipliciter considerari potest, aut scilicet secundũ essentiam, vel secundum virtutem, & potentias: nam etsi anima essentialiter sit actus simplex, tamen virtualiter considerata est multiplex, cum diuersa peragere valeat, prout est in diuersis partibus vel organis: nonnullæ siquidem formæ substantiales dantur quæ in essentia, & virtute simplices sunt, veluti exẽpli gratia, est forma ignis, quæ duas tantum facit operationes, nempe calefacere & exiccare; anima autem tanquam in virtute multiplex,

tiplex, multas diuersasque operationes agere potest, & propterea corpora naturalia requirit, & in ijsdem tantummodò reperitur.

Vltimo loco arguebatur, quod actu viuit, non est in potentia habens vitam, sed corpus cuius anima est actus, actu viuit, ergo anima non est actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis. Respondetur, quod vita vel accipitur in actu primo, vel in actu secundo, vel scilicet pro primo vitæ principio, quod est primum esse ipsius substantiale: vel accipitur vita in actu secundo, scilicet in operationibus vitalibus, & hoc modo corpus organicum, cuius anima est actus potentia vitam habet, non actu. Et sic vt à principio cum Aristotele dicebamus, anima vtique est actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis.

DISPVTATIO II.

ENarratis, & examinatis ab Arist. Antiquorum sententijs circa animæ essentiã, vt audiuistis, deinde ad quid esse eiusdem se contulit, & actum primum corporis naturalis organici, siue instrumentalis potentia vitam habentis eandem esse dixit; quam definitio-

nitionem insuper discutiendo, quoniam dubitare fortasse aliquis poterat circa illud verbum, Instrumentalis, nempè vtrum semper verum sit, quod anima sit actus primus corporis naturalis organici? Id enim manifestissimum quidem est in hominibus & animalibus, de plantis autem non videtur posse affirmari (cum tamen plantæ etiam viuant, & anima constent) cui dubitationi veluti tacitè respondens Arist. contex. 6. lib. 2. de anima; Instrumenta autem, inquit, & plantarũ partes sunt, sed pœnitus simplicia, vt folium eius quod fructũ cooperimentũ, id autem quod circa fructum, frutiferum, radices verò ori similes sunt. Nimirum etiam plantæ, inquit Aristot. instrumenta habent, atque in ijsdem plantis anima pariter actus primus est corporis naturalis instrumentalis: instrumenta autẽ plantarum simplicia sunt, hoc est consimilia neque adeo diuersa, vt in animalibus. folium scilicet instrumentum est cooperiens fructus, id quod circa fructus, nempè cortex istrumẽtum est eidem fructui inseruiens, radices verò ori similes sunt, quia sicuti animalia trahunt alimentum per os, ita etiam plantæ per radices, atque ita omnis anima actus primus est corporis naturalis organici.

Secun-

Secundò hac parte definitionis explicata, transit Arist. ad vltimam, nempe ad illa verba, potentia vitam habentis, Nõ est, inquiens, quod abiecit animam potentia existens vt viuat, sed quod habet sicuti semen. Nimirũ dupliciter asseuerari potest aliquid in potentia ad vitam, vel scilicet quia nullo modo habet vitę principiũ, vel quia habet: anima verò actus primus dicitur corporis naturalis organici potentia vitam habentis secũdo modo, non autem primo, cũ actu etiam vitę principium habeat naturale corpus, sicuti semen & fructus; semen enim & fructus in potentia ad vitam sunt, quoniã & in ipsa arbore viuente reperiuntur, non autem ex eadem arbore separati; quia quando ijdem fructus, & semen à planta segregati inueniantur, alio modo potentia vitam habent, vt alibi dicetur.

Ipso quid est animæ sic explicato Aristot. contex. 27. deinde ad animæ potentias accedit, atque has vegetatiuam appellat, intellectiuam, loco motiuam, vel sensitiuam: quarũ potentiarum alijs quidem insunt omnes, alijs verò quædam, quibusdam verò vna solum. Insunt nimirum omnes hominibus, nam hi viuunt, sentiunt, intelligunt. Alijs autem quædam harum, vt brutis & animalibus perfectis,

fectis, quæ viuunt simul, ac sentiunt, haud tamen intelligunt. Alijs denique vna solùm animæ potentia reperitur, vt sunt plantæ, vel alia similia solum vegetabilia. Quare vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, locomotiuũ, intellectiuum potentiæ animæ sunt subinde dicit Arist. eodem in contextu 27. superius allato. Circa quæ verba S. Thomas in comment. tali ratione dubitat. Anima ex Arist. triplex est, nempè rationalis, sensitiua, & vegetatiua, ergo tres animæ potentiæ dicendæ sunt, non autem quinque vt hìc ex Aristot. assignantur. Secundò, alibi idem Arist. animæ potentias enumerando quatuor solum esse dixit, videlicet sensitiuam, vegetatiuam, intellectiuam, loco motiuam, quarè appetitiua hìc superfluè adiungitur.

Respondetur, & primo ad primam difficultatem dicimus, quod licet anima triplex sit, vegetatiua scilicet, sensitiua, rationalis, nihilominus potentiæ plures esse possunt quam tres enumeratæ, intelligendo tamen de potentijs secundarijs, non autem principalibus, de secundarijs, inquam, & nullam à primis essentiam habentibus, sed earundem tantummodo suppositionem; nam potentiæ specificantur ex actibus, vt communis est

ſententia, igitur quandocunque actus plures atque varij erunt, plures & variæ potentiæ aſſerendæ pariter ſunt. Sed animæ actus plures ſunt quam tres, ergò etiam potentiæ plures erunt, veluti affirmabatur. Et quod animæ actus plures ſint, quam tres, manifeſtiſſimè conſtat experientia, nam de ſenſitiua potentia, exempli gratia, loquendo, huius prima operatio eſt ſentire, hæc autem actio recipiendo fit, ex qua inſuper receptione appetitus oritur, qui diuerſo modo à ſentiendo fit, quoniam ſentiendo anima recipit, & quodammodò ad ſeſe obiecta trahit: appetendo autem trahitur, cum eadem ad obiecta quodammodo feratur, ſeque moueat, vel inclinet. quarè animæ ſenſitiuæ præter potentiam ſenſitiuam appellatam, alia potentia tribuenda eſt, nempè appetitus quo mediante animalia ſenſitiua inclinantur ad proſequenda vtilia & iucunda, & ad fugienda inutilia atque iniucunda, & ſic alia potentia exurgit loco motiua, cum plurimæ animalium operationes ſine actione loco motiua dicta nequaquam celebrari poſſint.

Ad ſecundam verò dubitationem, vbi quærebatur, cur Ariſt. ſuperiùs enumerando animæ potentias, vegetatiuam eſſe dixerit, ſenſitiuam,

sitiuam, intellectiuam, locomotiuam, hic autem addat etiam appetitiuam; tali pacto respondetur, quod Arist. enumerauit superiùs non tam animæ potentias, quam viuendi gradus; appetitus autem viuendi gradum non constituit, quia habentia sensum, habent quoque appetitum, & propterea ibi appetitus non numeratur vt hìc, vel secundo loco. Dicuntur autem viuendi gradus ex Aristot. solummodò quatuor, quoniam quatuor solum sunt viuentium species, quas gradus appellant quoque Phylosophi, & viuentia intellectiua dicuntur, sensitiua, locomotiua, vegetatiua: intellectiua enim sunt homines, sensitiua dicuntur animalia imperfecta, locomotiua viuentia perfecta, vegetatiua denique plantæ sunt. & quanquam huiusmodi viuentia plures alias in se contineant potentias, nihilominus ità appellantur denominatione sumpta à nobiliori potentia: nam ex potentijs in homine existentibus, exempli gratia, nulla alia nobilior est ipsa potentia intellectiua, quare animal intellectiuum quoque homo dicitur, siuè gradus intellectiuus eidem pariter datur. In animalibus perfectis, cuiusmodi sunt equi, canes, & similia, potentia nobilior est locomotiua, ideòque gradus

locomotiuus eisdem tribuitur. Animalibus imperfectis, quæ motu progressiuo non mouentur, sed rependo, potentia nobilior sensitiua dicitur. Plantis denique vna est potentia solum vegetatiua, ideoque viuentia vegetantia dicuntur, & gradus tantum vegetabilis eisdem tribuitur. Aut, & fortasse melius, gradus viuendi prædictos viuentibus tributos fuisse dicemus, prout in ijsdem magis vel minus vigent: atque ita gradus intellectiuus tribuitur hominibus, quia in hac potentia magis quoque vigent ijdem homines, quam in alijs potentijs; sensitiua pariter animalibus imperfectis, quia etiam & in hac pariter vigent, sicuti eadem ratione locomotiua animalibus perfectis,& vegetatiua plantis. Exhibuit verò natura prædictis viuentibus excellentiam,aut maiorem operandi vigorem in vna potentia magis, quàm in alijs, quoniam scilicet hac, vel illa magis etiam indigebant pro ipsorum conseruatione.

DISPVTATIO III.

POst enodatas difficultates circa animæ potentias, de quibus in præcedenti disputatione egimus, discutiendum sese nunc offert

offert quidnam eædem potentiæ sint; vtrum scilicet potentiæ eadem sint anima, an realiter ab eadem distinguantur? Et quidem, distingui aliquid ab alio pluribus modis intelligi potest, nempè subiecto, forma, loco, accidentibus, vel alio simili modo. sensus autem quæstionis est in præsenti, vtrum potentiæ distinguantur realiter ab animæ substantia, hoc est nemine cogitante, an verò eædem potentiæ idem sint, quod ipsa anima. Scotus lib. 2. sentent. dist. 17. quem sequuti deinde fuerunt plerique recentiorum asseruit, potentias animæ nihil aliud esse, quam ipsa animæ substantia, eamque secundum quod suas exercet operationes vario etiam modo appellari. Probatur Scoti sententia primo authoritate Arist. lib. 2. de anima tex. 9. vbi inquit, Si oculus esset animal, potentia visiua esset anima, quare potentia idem est cum ipsa anima, vnde contex. 24. eiusdem lib. 2. anima, legitur, est illa, qua viuimus, sentimus, intelligimus, atque primò mouemur. Præterea animam rationalem idem Arist. sæpesæpius appellat intellectum, quia scilicet anima rationalis à potentia intellectiua minimè differat. S. August. lib. de spiritu & anima, dum anima, inquit vegetat, anima appellatur, dum super-

naturalia considerat dicitur spiritus, dum sapit, animus, dum intelligit intellectus. quare anima idem est cum suis potentijs, & solummodò ratione operationum distinctarum diuerso pariter modo appellatur. Denique potest conuinci huiuscemodi conclusio etiam ratione, quia anima tanquam forma nulli dubium, quod natura est, at natura principium motus est, atque quietis per Aristot. 2. Phys. tex. 3. ergo anima à potentijs suis minime differt.

In contrarium huius sententiæ insurgunt S. Thomas quæst. de anima art. 12. Aegid. & alij etiam ex Thomistis, asserentes nempè, potentias animæ esse qualitates ab anima distinctas, & quibus mediantibus anima suas exercet operationes. Quam conclusionem pluribus etiam modis probare conantur, primùm scilicet exemplo; nam potentiæ aliarũ formarum maximè distinguuntur à suis formis, sicuti calor potentia formæ ignis, vtique ab eadem forma ignis distinguitur, ergo etiã animæ potentiæ ab eadem forma animæ distinguuntur. Præterea, si potentiæ sunt idem cum anima, sunt etiam idem inter se (nam quæ conueniunt vni tertio, conueniunt etiã inter se) sed hoc est falsum, ergo potentiæ

cum

cum ipsa anima nequaquam idem sunt.

Iacobus Zabarella lib.de facult.anim. c.4. neque Scotum sequitur, nec S.Thomæ astipulatur: nequaquam verò, inquiens, animæ potentiæ idem cũ essentia sunt, vt erat Scoti sententia, nec agentia media inter animam, & actionem, vt affirmabat Diuus Thomas, verum potentiæ animæ aptitudines sunt, & quædam propensiones ad operandum, quæ insuper propensiones & aptitudines ex eadẽ anima proficiscuntur, ac sunt dispositiuæ quædam qualitates inter animam & actiones: & hæc de animæ potentijs sententia magis vera fortasse erit.

Ad argumenta verò in contrarium adducta tali pacto responderi potest; & primo quoad Aristot.in 2.de anim.contex.9. Si oculus esset animal potentia visiua esset anima, non quidem ità loquitur Aristot. vt per hæc verba intelligat,quod potentia visiua sit ipsamet anima, sed quia animæ essentia occulta res est, & innominata, ideò sæpius Arist. pro anima potentias nominat,& sub dictione potentiæ intellectiuæ, animam quoque intellectiuam sæpe sæpiùs intelligit, & sic etiam de alijs animabus.

Eodem pariter modo respondetur ad au-

ctoritatem S. Augustini, asserentis nimirum dum anima vegetat anima appellatur, dum supernaturalia contemplatur spiritus, dum sentit sensus, dum sapit animus, dum intelligit intellectus, harum scilicet nomine potentiarum animas ipsas intelligebat S. Augustinus, non quod verè animæ potentiæ essentia sint.

Anima est natura, dicebatur quoque à Scoto, esto, sed natura est principium per se etiam conceditur. at potentiæ principia per se haud sunt, neque vt anima principia dici possunt, cum ex Zabarel. superiùs propensiones animarum ad causandum sint, & qualitates dispositiuæ inter animam & actiones.

Ad argumentum verò S. Thomæ concedimus elementa habere potentias à sua forma distinctas, at non causaliter concurrunt ad actiones dictorum elementorum, sed tanquã conditiones, aut dispositiones, neque effectiuè vt voluit S. Thomas, siquidem vt clariori sermone loquamur, formæ sunt illæ quæ agunt, potentiæ verò disponunt. Neque valet exemplum de igne superius allatum, videlicet, ignem agere præuia caloris actione, nam calor non agit ignis effectum, sed suummet, disponit verò suam agendo operationẽ, ad

ad actionem ignis. Et ſic potentiæ animæ non idem cum eſſentia animæ ſunt, vt Scotus ſentiebat, & quamquam diuerſum quid ab anima ſint cum S. Thoma, non tamen agentia media ſunt inter actionem, & animam, ſed cum Zabarel.loco dicto, potentiæ animæ propenſiones ſunt ad operandum, atque ad animæ operationes, tanquam diſpoſitiones, non verò alio modo cõcurrunt.

Redeamus nunc ad textum. Ineſt autem plantis vegetatiuum ſolum inquit Ariſt. Circa quæ verba occurrit ſtatim dubitatio, cur non appetitiuum quoque in plantis inſit? Siquidem appetitus eſt quædam inclinatio ſequens formam. cum ergò detur forma vegetatiua, eidem quoque potentia appetitiua tribuenda eſt, & per conſequens plantis appetitiua potentia ineſt, non verò ſolum vegetatiua vt Ariſt. docet.

Aegidius in com. præſentis textus decernit hanc quæſtionem breuiter, appetitus nempè, inquiens, duplex eſt, naturalis ſcilicet, & animalis, naturalis reperitur in plantis, animalis verò in animalibus ſolùm. hic verò de appetitu minimè naturali, ſed animali loquitnr, qui in plantis non adeſt: nam appetitus iſte ſequitur formam apprehenſam, plantæ

autem

item apprehensionem nullam habent, & adeò hoc etiam appetitu carent. Vnde Arist. perbenè loquutus fuit cum vegetatiuum in solis plantis adest affirmabat.

Si autem aliquis quærat, quis nam sit appetitus naturalis, & quis animalis, & in quo differant inter se, satisfacit petitionibus hisce Aegidius idem exemplo motus; nam appetitus est veluti quidam motus, motus autem alius est ad vnam solummodo positionem alius verò ad plures, nempè grauia deorsum solummodo mouentur, leuia autem sursum; animata verò sursum, deorsum, vel ad alias similes positiones tendunt. Primus autem motus, qui ad vnam positionem modo tendit à forma naturali proficiscitur; secundus autem, & qui varios tendit ad terminos ab anima fit, atque aliquam præsupponit cognitionem.

DISPVTATIO IV.

ALijs autem & hoc (nempè vegetatiuum & sensitiuum, etsi sensitiuum appetitiuũ quoque) sunt alia verba Arist. in eodem contex. 27. Si enim meministis superius diximus, appetitum esse quandam inclinationem sequen-

quentem formam : cum ergò forma detur, etiam inclinatio sequatur necesse est, sicuti exhibita forma graui statim res grauis ordinatur ad locum deorsum, exhibita etiam forma leui, illicò leuia sursum ire exoptant : ita igitur posita forma sensitiua appetitus etiam sequitur, vt inquit Arist.

Appetitus autem concupiscentia est, & ira & voluntas, deinde subdit ibidem Aristot. nimirum declaratis ab eodem superiùs animæ potentijs principalibus sensitiua, intellectiua, vegetatiua, consequenter ad secundarias descendit, locomotiuam, & appetitiuam præsertim appellatas; & in hoc textu de appetitiua sensitiuæ animæ primum loquens, eandem in concupiscentiam, iram, & voluntatem diuidit: concupiscentia scilicet & ira sensitiuæ animæ potentiæ sunt, voluntas autem rationalis.

Sed circa hos appetitus sensitiuæ animæ quæret primo aliquis, in quo nam inter se differant, nam & ira, & concupiscentia animæ sensitiuæ desiderium sunt, neque vllam inter se differentiam habere videntur.

Respondetur tamen, quod inchoatiuè cõcupiscentia, & ira consideratæ in quantum ab eodem emanant, inter se nullam differentiam

autem apprehensionem nullam habent, & ideò hoc etiam appetitu carent. Vnde Arist. perbenè loquutus fuit cum vegetatiuum in solis plantis adest affirmabat.

Si autem aliquis quærat, quis nam sit appetitus naturalis, & quis animalis, & in quo differant inter se, satisfacit petitionibus hisce Aegidius idem exemplo motus; nam appetitus est veluti quidam motus, motus autem alius est ad vnam solummodo positionem alius verò ad plures, nempè grauia deorsum solummodo mouentur, leuia autem sursum; animata verò sursum, deorsum, vel ad alias similes positiones tendunt. Primus autem motus, qui ad vnam positionem modo tendit à forma naturali proficiscitur; secundus autem, & qui varios tendit ad terminos ab anima fit, atque aliquam præsupponit cognitionem.

DISPVTATIO IV.

ALijs autem & hoc (nempè vegetatiuum & sensitiuum, etsi sensitiuum appetitiuũ quoque) sunt alia verba Arist. in eodem contex. 27. Si enim meministis superius diximus, appetitum esse quandam inclinationem sequen-

quentem formam: cum ergò forma detur, etiam inclinatio ſequatur neceſſe eſt, ſicuti exhibita forma graui ſtatim res grauis ordinatur ad locum deorſum, exhibita etiam forma leui, illicò leuia ſurſum ire exoptant: ita igitur poſita forma ſenſitiua appetitus etiam ſequitur, vt inquit Ariſt.

Appetitus autem concupiſcentia eſt, & ira & voluntas, deinde ſubdit ibidem Ariſtot. nimirum declaratis ab eodem ſuperiùs animæ potentijs principalibus ſenſitiua, intellectiua, vegetatiua, conſequenter ad ſecundarias deſcendit, locomotiuam, & appetitiuam præſertim appellatas, & in hoc textu de appetitiua ſenſitiuæ animæ primum loquens, eandem in concupiſcentiam, iram, & voluntatem diuidit: concupiſcentia ſcilicet & ira ſenſitiuæ animæ potentiæ ſunt, voluntas autem rationalis.

Sed circa hos appetitus ſenſitiuæ animæ quæret primo aliquis, in quo nam inter ſe differant, nam & ira, & concupiſcentia animæ ſenſitiuæ deſiderium ſunt, neque vllam inter ſe differentiam habere videntur.

Reſpondetur tamen, quod inchoatiuè cõcupiſcentia, & ira conſideratæ in quantum ab eodem emanant, inter ſe nullam differentiam

etiam habent: differunt autem connotatiuè, & in quantum aliquid aliud secum habent, nam ira, dolorem, concupiscentia verò voluptatem habent. Vnde Aristot. 2. Rhetor. cap.11. Ira, inquit, est appetitus vltionis cum dolore propter apparentem contemptum in se, vel suos. & Cicero 2.etiam Rhetor. cap.2. Libido est, inquit, ira cum dolore speratæ punitionis propter apparentem cõtemptum in se vel in suos.

Circa hanc vero iræ definitionem difficultas etiam non leuis exoritur, vtrum scilicet cum ratione, an sine ratione eadem ira exerceatur? Nam Gal.12. meth. cap 5. animi affectus, inquit, commotio quædam est rationis expers. At Arist.5.polit.cap.10. assignans differentiam inter iram & odium, ira, loquitur, non facilè ratione vtitur, vt efficit odiũ, quare ira non est omninò expers rationis, vt Gal.afferebat.

Profectò, iram sine ratione dari posse manifestissima res est, & luce clarius in brutis conspicitur, quæ tametsi rationis expertia sint, in iram tamen facillimè concitantur. Sufficit enim ad iram commouendam contemptus cognitio, quam habent etiam bruta, & ad cuius vindictam de facili mouentur.

Sed

Sed quæstio est præcipua in præsenti de hominibus, vtrum scilicet etiam homines ratione præditi cum ratione irascantur, & actu iram existentem ratio, vel intellectus concomitetur.

Distinguendo ego responderem, nimirum in ira mediocri ratio maximè reperitur, & ratione concomitante hæc ira exercetur; ira verò magna nequaquam cum ratione accidit: vnde Horat. epist. 2.

Ira furor breuis est, animum rege, qui nisi paret,
Imperat, hunc frænis, hunc tu compesce cathenis,

Quod idem totidem pœnè verbis, dixit nobilissimus Phylosophus Themistius in oratione, quam scripsit de amicitia; & antea Ennius, vt est apud M. Tullium, iram insaniæ initium dixerat, quare, iram magnam veluti furorem esse, & ratione haud concurrente meritò dici poterit.

Aliter definiens iram Arist. alibi sic loquitur. Ira est accensio sanguinis circa cor, quam definitionem habuit etiam Gal. lib. 2. de sanit. tuend. cap. 9. quæritur ergò in præsenti, vtrum animalia corde carentia irasci valeãt. Respondetur breuiter, superiùs ipsum quid

est

est appetitus examinando, nos dixisse, iram esse inclinationem quandam sequentem formam, & exemplo rei grauis vtendo, remhanc grauem dicebamus ex sua forma deorsum inclinare, ita etiam supposita cognitione aut sensitiua potentia, necessariò appetitus sequitur, & supposita contemptus cognitione, necessariò etiam ira sequatur necesse est: & quamquam cor minimè adsit, quod raro, vel nunquam in animalibus datur, pro corde asseremus aliquid proportionale fuisse assignatum à natura in talibus animalibus corde carentibus.

Hippoc. 6. epid. sect. 5. contex. 19. excandescentia, inquit, retrahit cor & pulmones in se ipsa, & ad caput calida & humida. Galen. etiam de simpthom. caus. cap. 5. In timore, ait, sanguis & spiritus ad interiora retrahuntur, quo fit vt partes in superficie positæ maximè deinde algeant; per iram verò & distenduntur, & effunduntur, & calescunt. ergò non fit retractio pulmonis & cordis in ira, vt Hippocr. ait, aut etiam si fiat, non differt à timore.

Respondetur, quod ira habet plura tempora, nempe vt colligitur ex Gal. lib. de caus. sympth. dicto, & Phœsius etiam in textu Hippocra-

pocratis adnotat, fit retractio ſpiritus, & ſanguinis ad cor in principio iræ, cum ſcilicet appetitus illæ vindictæ inſurgit, atque id etiam ideò accidere ego dicerem, vt ille nimirum qui iraſcitur & vindictam ſuſcepturus eſt, fortior vel magis vegetus euadat; nam vt exterius apparet in ijs, qui aliquam vim inferre cupiunt, & aliquem corporis conatum celebrare, primum quidem vniuntur ex his omnia membra, & corpus eorum quodammodo conglobatur, in ſeſeque ipſa membra omnia colliguntur, vt ſcilicet cunctas vires corporis reuocent pro labore celebrando, vel conatu dicto exercendo: ita igitur & in ira accidit, pulmo ſcilicet & cor, vt docet Hippoc. in principio iræ retrahuntur: deinde verò ex eadem retractione ſpiritibus calefactis, atque corroboratis diſtēditur cor, aperiuntur pulmones, atque velut feruentes pro vindicta celebranda ad exteriora ſpiritus emittuntur, atque per omnia corporis membra diſtribuuntur, & ſic ira efferueſcentia eſt ſanguinis circa cor, vt ſuperius dicebatur. Poteſt etiam dici fieri retractionem cordis & pulmonis in principio iræ; quandoquidem ira eſt cum dolore, vt etiam ſupra dictum fuit, in dolore autem fit ſemper

aliqua

aliqua retractio cordis, cum idem cor conquassetur etiam dolore adueniente.

Præter iram & desiderium alius appetitus dicebatur voluntas, & hæc ex Arist. cap.10. Rhet. ad Theodectum citato est appetitus boni cum ratione; videlicet hic appetitus intellectus est, & cognitionem intellectualem præsupponit: ira verò & desiderium cognitionem sensitiuam. ex quo etiam colligitur non omnibus animalibus adesse voluntatem vt in disputationis principio dicebamus, sed hominibus tantummodò: quæ autem voluntates in brutis dicuntur, metaphoricè voluntates asseruntur, quia reuera non rationalis sed sensitiuæ animæ inclinationes illæ sunt, & sensu solum agente, non autem ratione qua carent, efficiuntur aut celebrantur.

DISPVTATIO V.

DIxerat Arist. si meministis in contex.27. quod omnia habentia sensum habent etiam appetitum, & insistendo in eiusdem conclusionis probatione, Animalia subdit omnia habent vnum ex sensibus tactum, cui autem sensus tactus inest, huic & voluptas, & dolor, & iucundum & molestum. quibus

autem

autem hæc & concupiſcentia, ipſius enim iucundi appetitus hæc. Quod autem animalia ſenſitiua habeant quoque appetitum probat Ariſtot.alia ratione; Animalia, inquiens contex. 28. habent alimenti ſenſum. ſed tactus alimenti ſenſus eſt. ergo animalia habẽtia ſenſum tactus habent etiam appetitum: ſiccis etenim, humidis, calidis, vel frigidis alũtur homines. horum autem ſenſus eſt tactus: nihil enim ad alimentum confert ſonus, neque color, neque odor, ſapor autem vnum quoddam eſt tangibilium. fames autem & ſitis concupiſcentia; & fames quidem calidi & ſicci, ſitis autem frigidi & humidi, ſunt alia verba Ariſt.

Circa hæc autem vltima verba, nempè fames concupiſcentia eſt calidi & ſicci, ſitis verò frigidi & humidi. Primò quoad famem, ſciendum eſt quod hæc latinum eſt nomen, græcè vero dicitur λιμὸς. æquiuocum pariter hoc nomen fames eſt, nam interdum ſignificat inopiam ciborum, vnde Cicero Terentiæ ſuæ, verendum eſt, inquit, ne breui tempore fames in Vrbe ſit; & ad.Atticum etiam, fames, legitur, qua nihil miſerius eſt in hac Aſia mihi optanda fuit. Hipp. etiam 2.epid.in Aeno aſſeruit, cum propter famem

leguminibus vesci cogerentur homines, crurum imbecillitate laborarunt. In aphor. molles carnes habentibus famem adhibere oportet, fames enim corpora exiccat. Cum fames laborandum non est, & alia similia in Hipp. leguntur.

S autem fames intrinsecè perpendatur, & appetitiuæ potentiæ respectu, hæc dictio nihil aliud significat, quam comedendi appetitum, siuè cibi concupiscentiam. Huiusmodi autem appetitus vel est naturalis, vel præternaturalis, ideò etiam fames vel naturalis est vel præternaturalis. Naturalis verò fames est cum potentia appetitiua naturaliter appetit, tanti scilicet alimenti concupiscentia est, quatum deficit, & refectioni partium deperditarum satis est. Præternaturalis verò fames è contra illa est, quæ præternaturaliter appetit hoc est multum vel maximè, & hanc famem medici interdum caninam appellarunt, græcè κυνώδην ὄρεξιν, vt apud Hippoc. videre est 5. epid. vbi in Oenidis refert se curasse ægrum laborantem canina fame. Aliàs verò hanc eandem famem præternaturalem medici bouinam appellant βούλιμον græcè dictã.

Oritur autem quæcunque fames tanquam à causa efficiente principali à potentia appetitiua,

titiua, instrumentaliter verò à pluribus, presertim verò ex humore acri in ventriculo existente; nam potentiæ animæ, non agunt immediatè in corpus materiale, & ideò etiam appetitiua potentia immediatè agere non potest in ventriculum ad famem excitãdam; quare materiali instrumento vtitur, quod humor acris est in eodem vẽtriculo. Vt enim referunt anatomici ex liene ducitur meatulus ad ipsum ventriculum, per quem portio melancholiæ acris humoris transmittitur ad eundem ventriculum pro fame excitanda. exinanito inquam ventriculo, & alimento destituto, humor dictus melancholicus qui in ventriculo reperitur exarescit, mordacior euadit, suaque mordacitate ventriculi membranas vellicat, easdemque corrugat, & sic fames exoritur calidi & sicci appetitus.

Si autem fortè fortuna ad eundem ventriculum magna copia humorũ confluat acriorum & mordacium, nempè melancholiæ aut acris pituitæ, & magna fames etiam oriatur necesse est; nimirum canina appellata, nonnunquam bouina: quinimo & multæ aliæ famis species assignari valent, quemadmodum exempli gratia erat fames Milonis Crotoniati Athletæ, qui vitulum quadrimum vna

mensa comedebat, aut etiam fames Maximini Imperatoris, qui vna vice libras quadraginta carnis edebat cum amphora vini Capitolina in potu etiam accepta, sicuti historiæ narrant, aut etiam aliquæ aliæ similes fames, de quibus medici infinitos referunt casus, vt videre est præcipuè apud Schenchium in lib. obser.medic. apud Amatum Lusitan. & diffusè magis apud Petrum Forestum, sed his omnibus omissis redeamus nunc ad textum.

Fames, inquit Arist. est appetitus calidi, & sicci,& licet intelligat de fame naturali, cuicumque tamen fami præternaturali hæc etiã definitio conuenit.

Sed contra aliquis dicet,famem vini potio soluit ex Hipp.2.aph.contex.21. λιμὸν θώρεξις λυεῖ græcè, ergò fames haud appetitus calidi & sicci est semper, cum vinum humidum sit non verò siccum.

Prætereà Gal.in com.præsentis aphor. famem caninam (de qua in præsenti vt inquit loquitur Hipp.) curandam esse docet pinguibus edulijs & oleaginosis alimentis,vt omnes pragmatici huic etiam curationi deinde astipulati fuere, quare fames minimè sicci appetitus existit.

His autem dubitationibus in contrarium addu-

adductis breuiter respondetur. quod fames alia est naturalis, præternaturalis alia, atque aliter consideratur fames in ordine ad alimẽta, aliter verò in ordine ad medicamenta; supradicta enim oleaginosa, & pinguia alimenta in fame canina, aut præternaturali offerenda esse docuit Gal. non autem in fame naturali. atque eadem alimenta oleaginosa conferunt vt medicamenta sunt, non verò vt alimenta. Siquidem supposito famem præternaturalem ex humore aliquo acri proficisci vtputà atrabiliario (nam ex hoc potissimũ fames dicta oriri solet, & qui melancholici sunt tali etiam affectione vexari solent) in hoc inquam casu ad coercendam bilis atræ acrimoniam in ventriculo existentis, atque eiusdem siccitatem moderandam pinguia & oleosa alimenta tanquam medicamenta propinanda sunt. Si autem fames consideretur ex parte potentiæ appetitiuæ sicut hic consideratur atque intelligitur ex Arist. in definitione, fames vtique appetitus calidi, & sicci est semper, quia vt subdit etiam Phylosophus in præsenti textu, siccis, humidis, calidis, & frigidis nutrimur, nutritio verò fit per potũ & cibum. cum verò sitis oriatur ex defectu frigidi & humidi, fames quoque deficiente

calido, & ſicco oriatur neceſſe eſt. ideoque calidi & ſicci appetitus fames eſt cum Ariſt. ſi ex parte potentiæ appetitiuæ conſideretur, nam potentia cupit reſtaurationem ſubſtantiæ deperditæ calidæ, & ſiccæ mediante fame, ſicuti frigidæ, & humidæ mediante ſiti.

Sed dices, legitur apud Tacitum Britannicum Neronis Imperatoris Fratrem veneno fuiſſe exſtinctum à pincerna cum potione calida, quam potare conſuetus erat. In lib. de conſuetudine Galen. refert Ariſtotelem Timeletem peripateticum phyloſofum obijſſe ex potu frigido, cum aliàs ipſe calidam potare conſuetus eſſet. Apud antiquos etiam calidam potionem in vſu fuiſſe contendunt plurimi. Vnde Romę olim publicè Thermopolium erat, vbi aqua palam vendebatur, & Martialis præterea ſic concinit.

Chaldam poſcis aquam, ſed nondum frigida venit
Alget adhuc nudò clauſa culina foco.

Denique in regione lapponenſi communiter calidam potionem incolæ aſſumunt. An igitur ſitis appetitus ſit humidi ſolum, non verò calidi ſemper, vt apud Platonem quoque legitur.

Reſpon-

Respondeo nutritiuæ potentiæ respectu, sitim semper esse frigidi,& humidi appetitũ, nam siti mediante frigidum, & humidum deperditum restauratur. interdum verò etiam calida potio sitim extinguere valet,cum scilicet potio dicta vt medicamentum exhibetur, vel quia taliter potare consuetus sit aliquis in quo casu consuetudo seruanda, nam consuetudo altera est natura ex Hipp. in aph.& semper aliquid consuetudini tribuendum est cum eodem.

DISPVTATIO VI.

SVperiùs vt vidimus Arist. contex. 27. & 28. loquutus fuit de potentijs animæ in communi,probauitque omnia habentia sensum tactus habere etiam appetitum,& huius probationis occasione meminit iræ,concupiscentiæ, voluntatis,famis, sitis, & similium, postremo de his omnibus meliùs, in inferioribus pertractare promittit, lib. nempè 3. vbi in particulari de potentijs erit sermo: hoc verò in contex. 29. satis vobis sit,inquit Phylosophus probasse, quod omnia habentia sensum tactus, habent quoque appetitum.

De imaginatione autem obscurum est, &

posteriùs considerandum (sunt alia textus verba) videlicet dubium est, eo loquente, vtrum habentia sensum tactus, habeant quoque imaginationem: nam spongia, exempli gratia, (vt naturales referunt) sensum tactus maximè habet, dum etenim colligitur in sese retrahitur,& venatoris manus fugit. suntque plura animalia imperfecta, in quibus sensus tactus etiam adest, & nihilominus, an imaginatione polleant dubium est ex eodem Aristot. quod inferius lib. 3.declarabitur.

Sed dices,quæcumque habent sensum habent appetitum, & imaginationem, vt superiùs docuit Arist. ergò vanum est in præsenti de hac re dubitare.

Respondet Aegidius Romanus in comm. imaginationem distinguēs in determinatam, ac indeterminatam, & cuicūque inest sensus, eidē pariter indeterminata imaginatio inest: sed cuicūque inest sensus, eidem determinata imaginatio insit necne, maximè dubitari potest & Arist. inferius id declarare pollicetur. nam animalia imperfecta tametsi sensu pollētia sint, nihilominus phantasiam haud habēt determinatā,nā remoto sensibili nō remanet in his imaginationis motus,sicuti perfectis relinquitur animalibus; ideò nōnulla viuentia

possunt

poſſunt habere ſenſum & nõ imaginationem.
(Quibuſdam autem ad hæc ineſt,& ſecundum locum motiuum, alijs autem cogitatiuum & intellectus, vt hominibus, & ſi quid aliud huiuſcemodi eſt etiam honorabilius) loquitur deinde Ariſt.contex. eodem. Nempè de ijſdem animæ potentijs adhuc loquendo, alijs docet loco motiuum adeſt, alijs cogitatiuum & intellectus, vt hominibus, & ſi quid aliud huiuſmodi, aut etiam honorabilius. quæ vltima verba D.Thomas, & Aegidius intelligenda eſſe affirmarunt de corporibus cœleſtibus, quæ à nonnullis eſſe animata dicuntur, atque intellectiuam habere potentiam cum deſideratiua. Ioannes verò Grammat.in com.etiam præſentis textus de quibuſdam dæmonibus intelligendum eſſe volebat, qui deindè animæ euadunt: nam erat olim quædam falſa opinio quorumdam Phyloſophorum Chriſtianæ fidei lumine], & quod idem eſt lumine veritatis carentium, qui putabant animos noſtros non tunc primò incipere eſſe, quando ſunt in corporibus noſtris, ſed priùs in aliquod certum tempus aeream quandam vitam ducere, & medium eſſe habere, ita vt anima quædam veluti potentia prius exiſtat ratione carens,antequam
per-

perfectum esse & verum habeat. sed vt asserebam allucinabantur maximè primi illi sapientes circa ipsum esse animæ.

Manifestum igitur est, quod eodem modo vna vtique erit ratio animæ, & figuræ contex. 30. loquitur subindè Arist., nam cum superius animæ definitionem exhibuerit, atque genericè etiam de eiusdem animæ potentijs egerit, intelligens inferiùs de quacumque anima, & animæ potentijs in particulari pertractare, tacitè velut obiectioni nunc respondens, non alia inquit se exhibiturum animæ definitionem magis vniuersalem superiùs descripta; tacitè inquam veluti obiectioni Platonice respondens, nam Plato vniuersalia secùndũ esse, à particularibus separata esse docebat, ideoque de vniuersalibus vnam pariter exhibebat ideam à particularibus segregatã, seù ponebat definitionem quandam cũ particularibus nullo modo communem, præterquamquod in ijs, quæ se consequenter habent, cuiusmodi numeri & figuræ sunt: etenim in numeris nulla alia communis ratio perquirenda est, quoniam post numerum binarium, sequitur ternarius, post ternarium quaternarius, & sic de cœteris. ita & in figuris post triangulum quadrangulus sequitur,

pen-

pentangulus, & similia. Hac igitur ratione, ait Arist. nulla alia animæ ratio vel communis definitio perquirenda magis est, quam illa à nobis tradita, quoniam anima se habet vt figura, prius enim est anima vegetatiua, deinde sensitiua, & intellectiua. & non modo in animalibus, verum in alijs etiam hic figuræ ordo assignari potest, cum rerum omnium vna etiam prior sit, altera vero posterior. quarè aduersus Platonem præceptorem suum, licet tacitè, ridiculum est, inquit, ad communem rationem confugere secundum esse à particularibus separatam.

Prædictum figuræ ordinem probando amplius Arist.in anima contex. 31. Similiter ait se habent ei quod de figuris, & quæ circa animam sunt: quia in sensitiuo vegetatiuum, & sic de singulis. Quare secundum vnumquodque quærendum quid sit vniuscuiusque anima. De anima videlicet in particulari ad agendum nunc descendit Arist. atque huius futuræ tractationis amplius rationem reddens,quoniam inquit consequenter se habēt huiusmodi animæ, nam sine vegetatiuo sensitiuum esse non potest, vegetatiuum verò è contra sine sensitiuo, vt in plantis apparet. Iterum sine tactu nullus alius est sensus, ta-

ctus

ctus autem sine alijs adesse maximè valet, & sic de singulis, quorum causæ inferius perscrutandæ sunt.

Et sensitiuorum etiam dicit context. 32. alia quidem habent locomotiuum, alia verò non habent; scilicet loco motiuum progressiuum, siue de motu locali progressiuo hic intelligit Aristot. quo imperfecta animalia haud pollent, quia tametsi huiuscemodi loco motiuum habeant, siue de loco moueantur, non progrediendo tamen mouentur, sed rependo, aut dilatando, & sese cōstringendo.

Quibus inest ratio corruptibilium, his & reliqua omnia, ait denique Philosophus. Tam scilicet sensitiua, quàm etiam vegetatiua, & locomotiua potentiæ adsunt cuicumque ratio corruptibilium adest. Etsi denique notandum est, ratio corruptibilium verba fuisse dicta ab Aristot. ad differentiam corporum cœlestium, in quibus, & si non corruptibilibus, adest tamen secundum aliquos ratio, volebat dicere Aristot. absque sensitiuo, & alijs potentijs principalibus. In habentibus verò rationem & simul corruptibilibus, quales sunt homines cunctæ aliæ potentiæ inueniuntur, vegetatiua scilicet, sensitiua, intellectiua, locomotiua, & similes.

D I-

DISPVTATIO VII.

DIcebamus ex Arist. in superiori disputatione, quod animalia ratione prædita, quales sunt homines, habent omnes quoque viuendi gradus, vegetatiuum scilicet, sensitiuum, intellectiuum, locomotiuum: cum autem ita se res habeat, vtrum & omnes etiam animæ in ijsdem hominibus reperiantur? sicut & in brutis, in quibus potentiæ vegetatiua, & sensitiua insunt; vtrum & anima vegetatiua & sensitiua simul etiam adsint, realiter, ac numero inter se distinctæ? & circa hanc quæstionem nostra erit disputatio: neque leuis quæstio est, quæ proponitur, nam vt audietis hinc inde adeò validæ sunt rationes, vt eas dissoluere ac enodare non sit valdè facilè. Et prima sanè opinio, vt refert Zabarel. lib. de facult. animæ cap. 6. & 7. latinorum est, quam etiam sequuntur omnes ferè neoterici, in homine videlicet asserentium vnam tantummodo animam reperiri intellectiuam, cunctis tamen alijs facultatibus præditam, & non solum animæ proprijs rationalis, at aliarum ignobilium animarum vegetatiuæ, & sensitiuæ:

tiuæ: ficuti etiam & in brutis vna folum eft anima fenfitiua, inquit, prædita verò facultatibus etiam animæ vegetatiuæ proprijs; tanquam fcilicet anima nobilior, etiam potentias ignobilioris animæ fecum habeat; pro qua fententia confirmanda fic primò argumentatur.

Fruftra fit per plura, quod poteft fieri per pauciora æquè benè, fed omnes operationes animales in homine ab vna folùm anima rationali fieri poffunt. ergò vna folum anima rationalis in homine fatis eft.

Secundò, fi plures animæ reperirentur, nempè rationalis, fenfitiua, vegetatiua, fequeretur, quòd homo cum moritur non interiet fecundum vnam animam folum, at fecundum plures, nempe tres, & fic tres etiam effent hominis interitus, vt bruti animalis duo, vnus verò plantæ.

Tertio fi effent in homine tres animæ actu, formaliter, & numerò inter fe diftinctæ, nempè vegetatiua, fenfitiua, rationalis, fequeretur quod homo non folum effet homo, fed brutum, & planta; effet animal brutum, quoniam fenfitiua anima ab alijs diftincta brutum quoque animal conftituit: effet etiam planta, nam anima vegetatiua ab alijs

diftin-

distincta plantam efficit, & sic de reliquis. quod nequaquam asseuerari potest, cum homo homo sit, non brutum, nec planta.

Denique videtur in hanc sententiam corriuasse etiam Aristot.2. de anima contex.31. vbi vegetatiuum in sensitiuo contineri inquit, vt triangulus in quadrangulo reperitur: & quemadmodum quadrangulus non habet formam distinctam trianguli in sese, sed tantum potentia eam retinet: ità etiam anima sensitiua non continet in se vegetatiuam actu distinctám, sed potentia. ac veluti etiam figura maior continet in se minorem, ita etiam vegetatiuam in se habet sensitiua.

Altera autem opinio est Auer. 3. de anim. com.5. asserentis in homine nō vnam solummodo, sed tres animas inter se distinctas numero & actu reperiri; intellectiuam scilicet, sensitiuam, & vegetatiuam, atque in bruto non solum sensitiuam, verū & vegetatiuam. Et iuxta hanc opinionem quælibet potentia suam sequitur propriam animam; sicut intellectiua rationalem animam sequitur, eidemque famulatur: sensitiua sensitiuæ inseruit, vt vegetatiua potentia vegetatiuæ, neque anima rationalis potentia alterius animæ vtitur, nempè sensitiua, vt sensitiua nec

etiam

etiam vegetatiuæ imperat. at quælibet potentia suæ inseruit solum propriæ formæ & animæ.

Pro hac verò sententia ita argumentatur Auer. Nam primo sensu constat in homine præsertim sæpè sæpiùs rationem cum sensu pugnam habere, & ab illis, quæ sensus exoptat, interdum ratio abhorret: vt è contra ratio illud nonnunquam appetit, quod sensui haud arridet; quid autem hæc efficit, nisi causarũ diuersitas, aut animarum distinctio? Si etenim vna solum in homine esset anima, non diuerso & contrario modo aliquando atque simul & semel, eodemque in tempore ageret. Quare alia dicendum est, quod sit anima in homine, qua sentimus, alia qua vegetamus, alia qua intelligimus.

Deinde forma est quid esse rei, nempè essentia rei sæpius forma ex Arist. appallatur τὸ τίς græcè; vna autem essentia vnum tribuit solummodò esse. ergo etiam vna anima vnum esse viuentis constituit. Cum verò in homine tres adsint essentiæ, nempè rationalis, sensitiua, vegetatiua, tres etiam animæ inter se actu distinctæ etiam reperiantur necesse est.

Secundo de generatione animal cap. 3.

Semen,

Semen, inquit Arist. priùs viuit vita plantæ, deinde vita animalis, tertiò vita hominis. Quare secundum Aristot. tres vtique animæ in homine reperiuntur, cuius sententiæ fuit pariter Iacob. Zabarella.

Non obstant autem quæ superius à latinis doctoribus in aduersum afferebantur, nam quod primo obijciebatur frustra fit per plura quod æquè fieri potest per pauciora, verum quidem est. At anima rationalis potest gerere operationes animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ æquè benè, sicuti etiam anima sensitiua valet ad idem, quod vegetatiua, negatur minor. Siquidem vt paulò ante dicebamus vna anima non potest agere effectus alterius, & vna potentia non potest inseruire nisi propriæ animæ, non autem pluribus, vt quælibet anima suam exercere potens est operationem sibi propriam, non verò aliam alterius animæ.

Ad secundum argumentum, quando dicebatur, quod si homo haberet plures animas inter se distinctas, sequeretur, quod homo idem haberet plures interitus, vel ter, non autem semel tantum moriretur. Respondetur etiam negando sequelam, nam vt constat ex Aristot. in lib. de vita & morte, cuiuslibet

viuentis mors,est præcipuè, atque immediatè destructio animæ vegetantis, sine qua reliquæ animæ cum Aristot. superiùs, inesse haud possunt; ipsa verò anima vegetatiua per se maximè existit, atque ita neque etiam tres interitus habent homines cùm moriuntur, sed vnum tantummodo, cum vt vegetantes obeant, non verò aliter.

Tertium argumentum erat, Quod si homo haberet tres animas actu inter se distinctas, sequeretur, quod homo idem non solum esset homo, sed etiam planta, & brutum, homo scilicet ex parte animæ intellectiuæ, planta ex parte vegetantis animæ, brutum respectu animæ sensitiuæ. Respondetur id affirmari non posse, cum anima vegetatiua ex se solum plantam efficiat, non cum alijs, vt etiam sensitiua eadem ratione per se brutum constituat, præsupponendo tamen vegetatiuæ existentiam. Et quamquam in homine tres animæ insint, atque in bruto duæ, nihilominus homo solùm dicitur homo, sicuti brutum animal brutum, eo quod denominatio ac differentia specifica ex nobiliori forma desumitur.

Vltimo loco afferebatur textus Arist. 31. 2. lib. de anima, vbi Philosophus vegetatiuum

uum in sensitiuo contineri asserit, sicut in quadrangulo triangulus, vel numerus ternarius in quaternario reperitur. qui sanè textus nequaquã nobis aduersatur, quinimò Auerrois sententiæ fauet: nã in quaternario numero continetur actu ternarius, ita etiam in sensitiuo actu vegetatiuum comprehenditur à sensitiuo distinctum: quasi diceret Aristot. quod sensitiua animalia sunt etiam vegetatiua, & non è contra, vt paulò infra ibidem docet. Plures itaque animæ actu inter se formaliter & numero distinctæ in homine repeeriuntur ex sententia Auerr. atque in bruto, sicuti & plures aliæ formæ substantiales actu etiam distinctæ in ijsdem subiectantur.

Verum opinio hæc suspecta reputatur in fide cum oppositam sententiam expressè secuti sint S. Patres communiter, vt videre est apud Toletum in proposit. de fide tenendis, circa substantiam animæ, quas ponit initio commentariorum in libros de anima. & in 8. Sinodo generali act. 10. can. 11. dicitur anathema ijs qui ponũt in homine duas animas. & ex Concil. Lateranen. cap. firmiter de summa Trinitate, Deus fecit hominem ex corpore & spiritu compactum; & ex symbolo S. Athanasij, anima rationalis & caro vnus

est homo, sicuti Deus & homo vnus est Christus. quare sententia de pluralitate animarũ meritò censetur periculosa in fide, & rectè Iandunus 3. de anima quæst. 12. eam admittit solum secundum Aristotelem, & Commentatorem, expresse autem profitetur se credere oppositum secundum veritatem.

DISPVTATIO VIII.

ARistot. in contex. 31. si meministis dixerat de vniuscuiusque anima in particulari tractandum esse, & quæ nam essent potentiæ animarum plantæ, animalis & hominis; de quibus subindè acturus methodum quoque docet ab ipso seruandam: contex. nempè 33. quem hodie præ manibus habemus, prius inquit sciendum est, quidnam sit vnaquæque harum potentiarum, quid scilicet potentia vegetatiua, quid sensitiua, quidnè rationalis, atque id optima quidem ratione discutiendum primo loco proponit, quoniam, & in 1. lib. de anima superiùs cõtex. 11. edocuerat, quod omnis demonstrationis principium est ipsum quid est: Atque cognito quid sit vniuscuiusque animarum potentiæ, ea quæ sequuntur & concomitantur perqui-

quirenda veniunt, quod subindè facit Arist.

Amplius & ante quam ad quid sit potentiarum accedat, ad quid sit inquam intellectiuæ potentiæ, sensitiuæ, vel etiam vegetatiuæ, quid pariter intelligere, quid sentire, quidq. vegetare sit discutiendũ proponit, priores inquiens potentijs actus & operationes secundum rationẽ sunt. Aduersus quæ verba Arist. sic forsitan dubitabit aliquis. Prior est causa, quam effectus, sed potentiæ sunt quodammodo causæ operationum. quarè priores sũt potentiæ ipsis actibus vel operationibus, & non è contra, vt Arist. docet.

Respondetur actus & operationes non esse priores, neque ex Arist. priores intelligi ipsis potentijs quoad esse, verum quoad cognosci, prius enim à nobis cognoscuntur actus, & per actus in potentiarum cognitionem deuenimus: priùs exempli gratia cognoscimus calorem, quam cognoscamus hoc subiectum, in quo est calor, esse ignem, prius cognoscimus frigus, quam substantiam frigidam, & vnico verbo operationes, vt dicebat Aristot. in cognitione quoad nos potentijs priores sunt, non autem quoad naturam, quoad nos etenim priora & notiora sunt, quæ sensibus etiam propinquiora inquit Arist. 1 post con-

tex.5. notiora verò naturæ è contra quæ à sensibus longiora sunt vel magis aliena.

Sed dices secundo loco ex Arist. 2. post. dicto contex. 5. scire est rem per causam cognoscere. Sed potentiæ operationum, & actuum causæ sunt, quare prius cognoscuntur potentiæ, quam actus.

Respondetur, scire dupliciter esse, intellectiuum scilicet, & sensitiuum; intellectiuum vtique fit per cognitionem causarum, sensitiuum verò per cognitionem potiùs effectuū, & operationum: vnde Arist. 1. post. contex. 1. dicebat, quod omnis bona nostra cognitio dependet à sensibus, quia sensus particularium, & operationum, intellectus autem vniuersalium est atque causarū. Priores itaque quoad nos potentijs operationes sunt, quare de ipsis etiam operationibus priùs agendum inquit Arist. deinde verò de potentijs. & hac eadem ratione, quoniam obiecta sunt etiam priora actibus, vel operationibus, de obiectis primò agendum quoque esse ait in præsenti tex. 33. ante quam ad actus accedatur.

Verum aduersus hanc aliam Aristot. conclusionem sic poterit argumentari aliquis. Non potest aliquid esse obiectum, nisi id adsit cuius sit obiectum, nempè operatio, ergò

prius

prius ſupponitur operatio, ſiuè prior erit operatio, quam obiectũ, cum operatio quodammodo ſit cauſa obiecti, vt obiectum eſt.

Reſpondetur, verum quidem eſſe quod non poteſt dari obiectum, niſi etiam illud adſit, cuius ſit obiectum, nempe operatio, ſed operatio præſupponit obiectum, & obiectũ prius tempore eſt operatione, atque prius cognoſcitur obiectum, deinde operatio, poſtea facultas & anima. & quamquam operatio ſit quodammodo cauſa obiecti, vt obiectũ eſt; etiam obiectum dici quodammodo poteſt operationis cauſa, quoniam ſicuti eſt obiectum, quia eſt operatio, ita etiam eſt operatio quoniam obiectum præſupponitur, & obiectum operationis eſt obiectum, ſicut & operatio obiecti alicuius eſt operatio.

Inſurges deinde, ſi operatio præſupponit obiectum: ergo quot ſunt obiecta, totidem erunt operationes, ac per conſequens totidem potentiæ. Sed obiecta ſunt infinita, quare operationes etiam atque potentiæ infinitæ erunt, quod affirmari minimè poteſt.

Reſpondetur, tot fieri operationes potentiarum numero, quot obiecta proponuntur, vtique non negatur. Verum tot etiam dari potentias minimè inde ſequitur, cum ex vna

eademque potentia plures numero operationes, sed eiusdem saltem speciei esse possint, vt ex vna eadẽque securi plures sectiones potẽtia visiua, exẽpli gratia, videt plures numero colores, sed fortasse eadem est operatio specie in visione coloris nigri, atque albi, quamquam obiecta diuersa sint.

Obiecta igitur priora sunt actibus, & actus priores potentijs, quoad nos, & potentiæ priores anima. vnde ab obiectis incipiendũ est, deinde ad operationes progredi oportet, post has ad potentias & ad animas. Sunt autem obiecta generalia tria secundum numerum animarum, nempè alimentum, sensibile, inte ligibile, vt vegetatiua est anima, sensitiua, intellectiua. & quoniam vegetatiua anima est etiam omnium prima in introductione, atque ab omnibus alijs animabus præsupponitur (siquidem vt paulò ante dicebatur) sine vegetatiuo aliæ potentiæ nequaquã existere possunt: vegetatiuum verò per se existit. Vegetatiua etenim anima, vt docet in sequenti contex. 34. Arist. & alijs inest, & prima & maximè communis potentia est animæ, secundum quam inest omnibus ipsum viuere, cuius opera sunt generare, & alimento vti. naturalissimum enim operum, quæ in

viuen-

viuentibus, quæcumque perfecta & nõ mutilata sunt, aut generationem spontaneã habẽt, est facere aliud quale ipsum: animal quidẽ animal, plantam verò plantam, vt ipso semper, & diuino participent secundum quod possunt, omnia enim illud appetũt, & illius causa agũt omnia quæcumque secundũ naturam agunt.

Ad hæc autem Aristot. verba, duo statim se se offerunt perscrutatione digna; primum est circa illa verba contextus allati, aut generationem spontaneam habent; nam Simplicius non spontaneam legit, & cum negatiua particula ante posita, & ratio est quoniam verba subsequentia, nempè, est facere aliud quale ipsum, animal quidem animal, plantam autem plantam, haud de spontè nascentibus intelligi possunt, quia sponte nascentia non generant, aut si generant infœcundè, & non cum perpetuitate speciei gegenerant; sponte nascentia autem sunt animalia illa, quæ ex putri generationem habent, & non sponte ab alio animali ortum ducunt.

Secundo per illud verbum (diuinum participent) non illud intellexit, quod à naturali contradistinguitur, sed æternitatem, quam animalia cuncta appetunt, & cuius causa generant, vt scilicet si non numero saltem in specie

ſpecie ſeſe animalia æterna conſeruent, & ad hunc finem ſemper generant, atque alia qualia ipſa ſunt facere conantur.

DISPVTATIO IX.

SVperius ex Ariſt. dicebatur, quod anima triplex eſt vegetatiua, ſenſitiua, intellectiua; de quibus idem acturus, primò ab anima vegetatiua incipit, eoque vtitur ordine, quem ſuperius deſcripſimus hoc eſt reſolutio, atque à notioribus nobis ad notiora naturæ. Et quoniam inſuper anima notior eſt quam potentia, & operatio etiam eſt magis nota ipſa potentia, & poſtremò obiectum operatione eſt notius; ideò obiecta animæ vegetatiuæ primò loco diſcutienda propoſuit Ariſt. quæ ſunt præcipuè generatio, & alimentum, nemo enim generat vel alimento vtitur, niſi viuat. Atque generationem obiectũ eſſe vegetatiuæ operationis probauit Ariſt. ex eo, quoniam naturaliſſimum eſt omnibus viuentibus generare ſibi ſimile, vt qua poſſunt æternitate fruantur, & ſi nõ numero, ſaltem ſpecie continuentur, atque perpetuò viuant. Secũdò generationem eſſe obiectum animæ vegetatiuæ probauit etiam Ariſt. ex

eo,

eo, quia anima vegetatiua eſt viuentis corporis cauſa & principium. quare pro obiecto habet quoque generationem, cum, quod eſt cauſa cauſæ ſit etiam cauſa cauſati. Quod autem vegetatiua anima ſit cauſa, & principiũ corporis viuentis probatur ex eodem Ariſt. contex. 36. quem præ manibus habemus. Cauſa, inquit, multipliciter dici poteſt, nempè vnde motus ſit, cuius cauſa aliquid agitur, & tertiò eſſentia alicuius rei; atque his omnibus modis animam vegetatiuam viuẽtis cauſam appellari poſſe ſic probat Ariſt. atque ab vltimo cauſandi modo exordia ſumens, quod eſt cauſa, inquit ipſius eſſe eſt etiam vt ſubſtantia, ſed anima eſt cauſa ipſius eſſe viuentis; ergò anima eſt etiam vt ſubſtantia cauſa viuentis. Secundò, cuius cauſa aliquid ſit, finalis cauſa eſt, ſed cauſa animæ vegetatiuæ ſunt omnia naturalia inſtrumenta corporis. ergò anima vegetatiua eſt etiam cauſa finalis corporis viuentis. quidquid enim eſt aut ſit in corporibus viuentibus, in ordine ad animam efficitur, ſcilicet ad vite conſeruationẽ, quæ etiam vegetantis animæ beneficio habetur, vt ſuperius dictum fuit. Tertio probat Ariſtot. animam vegetatiuam eſſe etiam cauſam, vnde motus, (vnde motus inquam, non qui-

quidem progressiui, siue locomotiui, quoniam hic cunctis viuentibus minimè adest, atque ab anima sensitiua immediatè potiùs fit quam vegetatiua. Sed causam vnde motus alterationis,& augumentationis,esse animam vegetatiuam intendit probare hic Aristot.) atque ita argumentatur. Nihil augmentum, aut decrementum habet, nisi alatur; quod autem alitur pariter & viuit. vitæ causa insuper est anima vegetatiua. quarè vegetatiua anima est etiam causa augmenti, siue causa vnde motus augumentationis.

Verum hæc aduersus Arist. & vltimo loco dicta sic aliquis insurget. Ignis combustibili nutritur & augetur. Ignis vegetatiua caret anima. quarè potest aliquid nutriri aut ali etiam absque anima vegetatiua.

Secundò, Empedocles non ex anima vegetatiua augumentum fieri asseuerabat, sed ex alentis materiæ necessitate, nempè radices plantarum, exempli gratia, deorsum augeri, quoniam terra naturaliter, & in eādem partem fertur; sursum verò plantarum ramos augeri, quia ignis etiam natura sua sursum fertur: Vnde causa augmentationis ignis & terra sunt in viuentibus, non autem vegetatiua anima iuxta empedoclis sententiā.

Pro-

Probari verò potest hæc circà causam augmenti Empedoclis sententia ratione, & experientia. Ratione inquam, nam vt communis sententia est, ars imitatur naturã. sed in augmentatione per artem facta inferius grauiora atque terrea ponuntur, supra autem leuiora & ignea. Quare etiam naturaliter augmentatio fit ex descensu rerum grauiorum in inferiora, atque leuiorũ ascensu ad superiora. Secundò, Empedoclis conclusio probari potest experimento, ac præsertim experimento sanguinis, qui in capite tenuior est secundum medicos, quam in partibus alijs inferioribus: tenuior inquam in capite reperitur, nam itàetiam esse debebat, cũ superiores corporis partes ascẽsurus esset. Quare sursum leuiora, infra verò grauia sese mouendo cuiusque augmentationis in causa sunt, non autem vegetatiua anima ad hæc vllo modo concurrit.

De his autem rationibus allatis, seu experimentis, quidquid sit, augmentum & alitionem ab anima vegetatiua fieri res clarissima est, quia non viuentia neque aluntur aut alimento indigent, neque etiam augentur (de vera tamen augmentatione intelligendo.) Neque obstant in cõtrarium allata argumẽta,

tibus animæ vegetatiuæ mediantibus. Vnde Aristot. contex.41.huius 2.de anima,cunctis natura viuentibus, inquit, posuit Deus suos terminos magnitudinis atque augmenti. Ignis ex se in infinitum augeretur, & sursum tenderet,nisi ex vegetante facultate moderamen susciperet.

Sed dices obiter in hoc tex.41.Arist. videtur sibi ipsi contrariari; nam omnium natura constantium sunt certi termini magnitudinis & augmentationis, vt idem ait, Ignis autem maximè natura constat, ac tamen per eundem in infinitum augetur, vt supra audiuistis.

Respondetur breuiter in contextu hoc 41. minimè ab Aristot. intelligi de augmento quolibet, verum de augmento per veram augmentationem facto, aut per intra susceptionem dicto, sicut superiùs aliàs diximus, quod quidem augmentum igni minimè competit,sed solis animatis atque viuentibus.

DISPVTATIO X.

De generatione vegetatiuæ animæ obiecto agendo in præcedenti disputatione, naturalissimum esse dicebamus cũ Arist.

con-

contex. 34. 35. viuentibus omnibus procreare sibi simile: nam cum animalia æternitatem in indiuiduo assequi non valeant, in specie eandem prosequi conantur. Circa quæ verba tres oriuntur dubitationes, vtrum scilicet hæc actio generationis viuentis solummodò sit; vtrum etiam sit magis naturalis & magis perfecta eadem generatio cunctis alijs vegetatiuæ animæ operationibus. vtrum denique aliquem ordinem seruet, nempe successiuè ac paulatim fiat, an verò ordine careat, atque tota simul perficiatur?

Et quoad primam dubitationem negatiuè respondendum primò videtur, nam ignis etiam generat sibi simile, ac tamen viuens non est.

Ex altera vero parte, vt ex Arist. etiam colligitur, & Diuus Thomas refert 1. parte quæst. 27. art. 2. generatio viuentis emanatio est, siuè origo alicuius viuentis à principio viuenti coniuncto, in similitudinem naturæ specificæ. quarè generatio propria viuentis est, neque alijs competit quam ipsis viuentibus. Sunt enim viuentia ex Arist. 1. de hist. animal. cap. 3. aut viuipera, vel ouipera, & vermipera; viuipera sunt quæ extra se fœtum minimè emittunt, donec anima præditus sit,

atque perfectè etiam corpus organizatum habeat: ouipera autem sunt illa animalia, quæ oua pariunt, ex quibus deinde pulli enascuntur. Vermipera denique sunt illa, quæ informes vermes pariunt, qui posteà seruati perficiuntur. Siuè igitur viuipera animalia sint, siue ouipera, aut vermipera, generatio viuentis nonnisi à viuente contingit, cum etiam ad generationem quamcumque semen requiratur, quod solis viuentibus, & animalibus conceditur.

Neque obstat, quod de igne primo loco afferebatur, nam ignis vtique similem sibi ignem generat, non tamen vera & propria generatione, sed impropria; generat enim ignis alium ignem secundum quamcumque partem, viuens autem secũdum vnam solummodo. ignis illicò etiam sibi simile generat; viuentia verò nonnisi vbi perfecta fuerint. Et denique viuens nõ solum generationis materiam, sed etiam nutritionis interdum exhibet, vt in viuentibus viuiperis apparet, quæ in vtero viuentis cũ generantur, tũ etiam nutriuntur, & augentur. quarè viuentis generatio propria est, non autem aliorum.

Sed dicet aliquis iterum, generatio noxia est viuentibus. ergò propria & naturalis viuentis

uentis non est affirmanda. quod vero generatio nocua sit ipsis viuentibus colligitur ex Arist. in lib.de longit.& breuit.vitæ, vbi animalia salaciora,atque ad venerem magis prona, breuioris quoque vitæ docet esse idem Arist.quàm alia animalia minus salacia. quarè naturalissimum viuentibus procreare haud quaquam erit.

Sed respondetur, quod quamuis generare tollat vitę longitudinem,eamque breuiorem reddat, nihilominus naturalissimum est vtique viuentibus; nam propter speciei conseruationem permittit natura, vt indiuiduum aliquam noxam in parte patiatur:est quidem generatio fortasse alicuius noxæ indiuiduo particulari, speciei tamen vniuersali prodest, nam per repetitas generationes viuentium species conseruari manifestissimum est. Fortaßè alicuius noxæ causa est generatio, fortaßè inquam, quia ex Cornel.Celso in 1.cap. lib.1. Concubitus neque nimis concupiscendus est, neque nimis pertimescendus, rarus corpus excitat, frequens resoluit: & inferiùs scire licet eũ concubitum non inutilem esse, quem corporis neque languor, neque dolor sequitur. quarè venus, aut generatio non semper noxia est, sed interdum salutaris, at-

que ita propria viuentis est generatio, vt dicebatur.

Secunda dubitatio erat, vtrum generatio sit magis naturalis, ac magis perfecta cunctis alijs animæ vegetatiuæ operationibus. Atque prima fronte videtur asserendum quod nõ. Siquidem illud est magis naturale, & perfectius, quod omnibus inest, quam quod paucis. Sed sic est, quod nutritio omnibus viuentibus inest, non autem generatio, quare generatio non est magis naturalis, sed nutritio. Præterea magis naturalis operatio illa est, per quam vnumquodque conseruatur, quam illa, per quam species solum. sed talis operatio nutritio est, non generatio. quarè nutritio est operatio magis naturalis atque perfectior ipsa generatione. & sane his consideratis rationibus verba Arist. (naturalissimum in viuentibus procreare sibi simile) nonnulli valdè atque vt plurimum naturale intellexerant, non autem comparatione ad reliquas animæ vegetatiuæ operationes, quia nutritio communis est adeò atque frequens viuentibus operatio, vt minus naturalis, quã generatio dici nequaquam valeat, sed potius magis. Ex altera vero parte finis generationis nobilior est fine nutritionis, cum generatio

æterni-

æternitatem intendat, nutritio autem deperditæ ſubſtantiæ reparationem, generatio in ſe continet nutritionem, nutritio vero non è contra generationem in ſeſe habet: quinimò nutritionis facultas quodammodo facultati generatiuæ famulatur, & inſeruit.

Neque obſtant quæ in contrarium ſunt allata; nam licet nutritio omnibus inſit, non ideò eſt magis naturalis ipſa generatione; primo quia etiam generatio inchoatiuè, & quoad primũ principium viuentibus omnibus ineſt, ſicuti nutritio. & præterea generatio opus perfectius atque nobilius intendit ipſa nutritione, generatio enim totum viuens, nutritio autem partem viuentis pro fine habet, ſicuti etiam ſupra dicebamus. nutritio etiam cõſeruat indiuiduum, generatio autẽ ſpeciem. quare generatio viuentis operatio magis naturalis erit, atque perfectior reliquis alijs animæ vegetatiuæ operationibus.

Tertio loco vtrum generatio cum aliquo ordine fiat percuntandum proponebatur. & breuiter prima fronte negatiuè reſpondendum eſſe videtur, nam ex Hipp. in lib. de alim. confluxus vnus, conſpiratio vna, conſentientia omnia dicitur; ſiquidem corporis membra adeò ſubſeruientia ſibi adinuicem

sunt, vt alterum sine altero proprio munere fungi haud perfectè valeat;quare cum anima pro exercendis operationibus corpori vniatur, non successiuè,sed omnibus simul id fieri asserendum est, cum omnibus etiam partibus indigeat pro operationibus exercẽdis, & sic generatio non successiuè, at simul tota exercetur. Prætereà si generatio non fieret simul tota, sed successiuè, atque gradatim, sequeretur quod generatio animalis cõtinuus motus esset, paulatim de imperfecto ad perfectũ procedens; ergò generatio hac ratione ab alteratione minimè differret. Tertiò generatio perfectio est. Si ergo fieret paulatim adderetur perfectio perfectioni,& sic generatio eadem non esset transmutatio totius in totũ, cum eiusdem subiectum hac ratione esset ens in actu. Quarto si generatio gradatim fieret, sequeretur, quod forma substantialis non introduceretur tota in instanti, & ita ab alteratione haud differret, vt supra etiã dicebatur.

Ex altera verò parte Arist. 2. de gener. animal. cap. 3. fœtus inquit primò viuit vita plãtæ, deinde vita animalis, tertiò verò vita hominis. quia nimirum sicuti membra paulatim & successiuè generantur, ita etiam animæ dictorum membrorum formæ, successiuæ etiã

intro-

introducuntur. nam ſeminis vis,qua mediante generatio perficitur non eſt infinita, ſed finita & limitata, & ideò diuerſa membra ſimul & in inſtanti componere minimè valet.

Neque obſtant in contrarium allata argumenta, nam vtique cum Hippocr.confluxus vnus, conſpiratio vna, conſentientia omnia, & corporis partes ita ſunt ordinatæ inter ſe, vt ad inuicem ſibi ipſis inſeruiant. tamen huiuſcemodi ſeruitium præſtare non valent,niſi ſint iam perfectæ & genitæ; vnde paulatim, atque ſucceſſiuè fit generatio partium in viuentibus, non autem tota ſimul. Si generatio paulatim fieret præthereà arguebatur, ſequeretur quod non differet ab alteratione, quæ etiam paulatim fit, neque etiam eſſet tranſmutatio totius in totum,quia eſſet additio perfecti ad perfectum. Reſpondetur, nō implicare, quod in generatione fiat etiam additio perfecti ad perfectum,nam cum animæ vegetatiuæ ſuperuenit ſenſitiua fit vtique viuens magis perfectum, ſicuti etiam cum intellectiua aduenit, differunt tamen huiuſcemodi motus ab alteratione, quia alteratio conſiſtit in accidentibus, generatio autem in formis ſubſtantialibus;& huiuſcemodi formæ ſubſtantiales, nempè tres animæ relatæ, ve-

getatiua, ſenſitiua, intellectiua permittunt inter ſe ſuperuenientiam vnius ad alteram, quoniam ſubordinatæ ſunt, atque vna alteri, altera verò alteri ſuperuenire poteſt; ſicuti etiam ex formis particularibus tanquam inter ſe ſubordinatis vna alteri ſuperuenit, atque ſimul inter ſe diſtinctæ in eadem parte poſſunt exiſtere, ſicuti de animabus ſuperiùs demonſtrauimus.

Verum ſi generatio animalis vel hominis paulatim fit, nẽpè priùs generãtur partes aut organa animæ vegetatiuæ, & ipſa deindè vegetatiua anima introducitur, & poſtea generã tur organa animæ sẽſitiuæ, & ipſa pariter anima ſenſitiua introducitur, & vltimò generantur partes ſiuè organa rationalis animæ, atque anima ſubinde intellectiua introducitur: quæret aliquis in primo eſſe vegetatiuo, & quandò nulla alia anima adhuc genita, vel introducta eſt, vtrum illud viuens homo, vel planta appellari debeat: ſicuti etiam poſt generationem animæ ſenſitiuæ, vtrum appellari debeat homo, an verò brutum? Hæc ſane quæſtio potius de nomine eſt, quam de re. Nihilominus ego dicerem, quod etſi homo in primo eſſe animæ vegetatiuæ vita plantæ viuat, & bruti vitam, cum anima ſenſitiua

etiam

etiam introducta est, nihilominus neque plantam neque brutum tunc temporis appellandum esse illud viuens, sed hominem, cum ad esse rationale paulatim disponatur, nã ex homine homo nascitur, sicuti ex plãta plãta, ex bruto brutũ, & homo imperfectus est, quando anima tantum vegetatiua adest, perfectus autem homo est rationali anima omnium perfectissima superueniente.

DISPVTATIO XI.

ABsoluto obiecto generationis, de quo in præcedentibus sermonem habuit Aristot. nunc in contex.42.& 43. huius 2. de anima, obiectum nutritiuę potentię, quod est alimentum explicandum proponit, & ita loquitur (Quoniam autem eadem potentia animæ est vegetatiua ac generatiua, de alimento necessarium est determinare primum, separatur enim ab alijs potentijs opere hæc) quæ Aristot. verba apud varios Doctores diuersis modis intelliguntur. Nam Ioannes Grammat. in com. super verba dicta, quoniam eadem potentia animæ est vegetatiua & generatiua, non simpliciter accipienda esse docet, quasi nullo modo potentiæ dictæ generatiua & nutri-

nutritiua inter se differant: sed dictis verbis solum putat voluisse Aristot. quod potentiæ dictæ vnius animæ sint, & quoad finem inter se quodammodo idem; cum nutritiua, atque generatiua potentiæ generationi inseruiendo, per generationem alterius sibi similis æternitatem intendant, quam finem generationis proximum superiùs Arist. esse docuit, vt illam, finem remotum; & sic quoad finem eadem potentia animæ est vegetatiua atque nutritiua. Non autem formaliter inter se idem sunt potentiæ dictæ, nam diuersitas potentiarum desumitur ex diuersitate operationum, quas differenter exercent generatiua & nutritiua, cum operatio nutritiuæ, siuè nutritio sit restauratio deperditæ substantiæ, quam restaurationem generatio præsupponit, ad hoc vt sibi simile produci valeat, quæ eiusdem generatiuæ potentiæ proxima operatio est. D. Thomas etiam in comm. generatiuam, atque vegetatiuam eandem esse potentiam animæ dixisse Aristot. putat, quoniam eædem potentiæ vegetatiuæ animæ potentiæ sunt.

Sed quidquid sit de authorum sententijs circa verba dicta Arist. nullo modo potentias dictas generatiuam & nutritiuam esse

eandem

eandem potentiam videbitur fortasse alicui, quod tali pactó probari potest. Alimentum per Aristot. est obiectum nutritiuæ. ergò est etiam obiectum generatiuæ, si generatiua potentia & nutritiua idem sunt. & nihilominus dum generatur nullum alimentum recipitur. quarè idem inter se minimè sunt generatiua & nutritiua potentiæ dictæ.

Respondetur breuiter, quod diuerso modo consideratum alimentum non solum potentiæ nutritiuæ, verum etiam generatiuæ, & augmentatiuæ obiectum dici potest: si etenim animal haud nutriatur, neque generatio fieri potest, neque augmentatio, cum generatio nõ nisi mediante semine fiat, quod ex superabundantia alimenti oritur. & ideò alimentum generationis pariter obiectum est, quamuis non principale & immediatum, sed mediatum atque secundarium.

(Separatur enim ab alijs potentijs opere hoc) sunt alia verba Aristot. in context. 42. videlicet nutritio separatur ab alijs operationibus aliarum potentiarum: vt enim superiùs affirmabatur, anima vegetatiua potest ex se sola existere. reliquæ verò animæ absque vegetatiua nequaquam, ita igitur & operatio vegetatiuæ separatur ab operationibus

alia-

aliarum potentiarum.

(Videtur autem esse alimentum contrarium contrario) subiungit etiam Aristot. in tex. 43. Nimirum dubitat his verbis, vtrum alimentum sit contrarium ei, quod alitur, an verò simile. & prima fronte videtur quod sit contrarium: nam alimentũ patitur ab eo, quod alitur,& in substantiam nutriti permutatur.Sed non potest fieri mutatio, nisi inter contraria, vel saltẽ media; quarè quod alitur & alimentum,inter se contraria vtique sunt. Ex altera verò parte communis est sententia, quod simile à simili nutriatur, inquit in sequentibus Philosophus, & Medici præsertim hanc sequuntur sententiam. Vnde Gal. lib. de inæqual. intemp. augetur, & nutritur, ait, vnumquodque à similibus, perimitur atque corrumpitur à dissimilibus; & lib. de natural. facultat. cap.7. In hoc differunt inquit nutrimentum à medicamento, quod nutrimentum vincitur, medicamentum verò vincit. Sed præter Gal. Hip. idem docuit, cum 1. aphor. 16. Victus humidus, inquit,febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris & alijs, qui tali victu vti consueuerunt: & nulla quidem alia ratione inquiunt Commentatores, nisi quoniam simi-

lia

lia similibus conseruantur. quarè nutritio per similia exercenda est. & alimentum nutrito simile esse debet, non contrarium.

His autem hinc inde sic stantibus Arist. in context. 45. hanc quæstionem cum distinctione decernit, tam, inquiens, alimentum est, quod non coctum, quam quod concoctum: in quantum igitur alimentum non est concoctum contrarium alito est, in quantum verò concoctum est, non est contrarium, sed simile, vnde vtraque sententia ex Arist. vera est.

Sed dices iterum Hippoc. in lib. de natur. human. docet, quod ex terra nascentia trahunt sibi alimentum magis simile, aut familiare, videlicet crassiora crasso alimento nutriuntur, tenuia tenui, fœtentes plantæ fœtidum quoque alimentum sibi trahunt, vt benè olentes odoratum magis: vnde naturales ad hoc vt flores suauius olentes nascantur, prope illos ponunt & alunt plantas fœtidas, & sic rosa, exempli gratia, suauioris odoris est, si prope ipsam est cicuta, aut alia similis planta. quarè simile à simili nutritur, neque vllo modo alimentum ei, quod alitur contrarium est.

Respondetur, contrarium & simile pluri-

bus

bus modis intelligi posse; & quoad accidentia, & quoad substantiam, vt ita dicam (licet substantiæ nihil per se contrarium sit) cum autem quærimus vtrum simile, aut contrarium sit alimentum, dico, quod si consideretur respectu primarum qualitatum, nulli dubium est quod & si cruda, similia alimenta esse debent ijs, qui nutriuntur, nempè humida humidis, sicca siccis, & similia exhibenda sunt pro alitione perficienda; siquidem nutritio nihil est aliud, quam assimilatio alimēti partibus aliti. Si autem consideretur alimentum respectu partium alendarum, & respectu formarum substantialium, quas habent, nempè respectu formæ carnis, ossium & similium, alimentum crudum vtique simile nutrito haud erit, sed contrarium aut medium. Ideò vt benè Arist. loquebatur, alimentum coctum nutrito simile est, contrarium verò crudum.

(Non omne autem omni, sed quæcumque contraria non solum generationem habent ad inuicem, sed & augmentum, fiunt enim multa ad inuicem, sed non omnia, vt sanum ex laborante) hæc deinde subdit Arist. quibus verbis docet, quod non omnia contraria sunt alimenta, sed illa solum quæ ex inuicem gene-

generationem habent, & augmentum: vndè licet ex igne generetur aqua, non tamen ex igne aqua augetur. ex aqua augetur ignis vtique, ergò videtur quod aqua sit alimentum ignis, non tamen ignis alimentum aquæ; quãquam neque etiam ignis propriè nutriatur, vt infra docet Arist. cum omne quod nutritur vita participet, quod de igne affirmari non potest; quare ignis, cum nutriri dicitur, impropria locutio est, cum augmentum ignis additio potius sit, quam nutritio, nam & secundum omnes partes minimè augetur, vt in vera nutritione requiritur.

DISPVTATIO XII.

Dicebatur superiùs ex Arist. quod eadem potentia animæ est generatiua, ac nutritiua, ideò de alimento etiam agendũ esse: nimirum cum Ioanne Grammatico in com. quoniam alimentum est quodammodo obiectum vtriusque potentiæ, idest nutritiuæ & generatiuæ, quinimò etiam augmentatiuæ: nam alimentum non modo nutritioni inseruit, sed etiam augmentationi & generationi, non potest enim generatio fieri, nisi seminis augmentum adsit, non potest autem semen augeri

augeri absque eo quod nutritio præcedat, quare alimentum est obiectum nutritionis, augmentationis, atque generationis, cum omnibus his operationibus etiam inseruiat. est autem, subiungit deinde Aristot. in contex. 47. esse aliud alimento & augmentatiuo, secundum enim quod quantum quoddam est, augmentatio est, secundum autem, quod hoc aliquid & substantia alimentum; conseruat enim substantiam, & eo vsque quo vsque alitur) Et sensus est, quod quamuis alimentum idem nutritioni inseruiat augmentationi & generationi, nihilominùs prædictis potentijs nõ eodem modo inseruit, nam augmentatiuæ inseruit vt quantum, nutritiuæ verò, vt substantia; siquidem, vt in eodem contex. docet Arist. nutritio est conseruatio substantiæ, quæ quidem conseruatio exerceri minimè potest, nisi per additionem alterius substantiæ; quarè alimentum concurrit ad nutritionem, vt substantia; ad augmentationem verò, vt quantum. concurrit etiam vt substantia alimentum ad generationem, sed diuerso modo, hoc est producendo sibi simile, non autem substantiam viuentis conseruando, vt in nutritione. præterea nutritioni inseruit alimentum cõseruando substantiam

intra

intra alitum, generationi verò eandem substantiam producendo, sed intra ipsum generans? Denique generationi inseruit alimentum, vt superfluum, nam semen superfluum vltimi alimenti est, nempè sanguinis, nutritioni autem nequaquam inseruit, vt superfluum.

(Quare huiuscemodi animæ principium potentia est tale vt conseruet habens ipsam; secundum quod est huiusmodi) sunt alia verba eodem in contex. Per quæ ipsum quid est potentiæ nutritiuæ idem Arist. exhibet, quæ nihil est aliud quam facultas conseruans ipsam habentem, nempè viuens.

Circa hanc verò nutritiuæ potentiæ definitionem, sic aliquis dubitabit. Potentia nutritiua intendit restaurationem deperditæ substantiæ, siue substantiam ex calore innato consumptam restaurat; nam vt alibi diximus cum Arist. calor quodammodo nutritur humido viuentis corporis, ad cuius humidi deperditionem statuit natura potentiam nutritiuam, quæ operando circa alimentum obiectum suum, idemque partibus illis addendo, in quibus deficit, restaurat vt dixi, quod deperditum est; quare nutritiuæ potentiæ finis restauratio est non conseruatio.

V Respon-

Respondetur breuiter, finem proximum potentiæ nutritiuæ esse restaurationem, remotum verò, substantiæ viuentis conseruationem, & magis remotum generationem, vt & alibi diximus.

Cum autem quid sit potentia nutritiua declarauerit Arist. in tex. 49. declarat pariter ex quibus fiat nutritio. Quoniam, inquiens, tria sunt, quod alitur, & quo alitur, & alens, alens est prima anima, quod alitur est habēs hanc corpus, quo autem alitur, alimentum. Quo alitur denique (subiungit in cont. 50.) est duplex, nēpe mouens, & quod mouetur, sicuti manus sunt & temo, manus nutritionis est potentia nutritiua, temo autem est calor innatus, quo omnia alimēta concoquuntur; nam præter potentiam nutritiuam in viuente requiritur etiam calor innatus, ad hoc vt fiat concoctio eiusdem alimenti, cum omne alimentum ad hoc vt alat, debeat concoqui, at sine calore naturali concoqui minimè potest, & ideò naturalis calor ad alimenti cōcoctionem & ad nutritionem tanquam instrumentum necessariò requiritur.

Sed circa verba, omne alimentum vt concoquatur necesse est, cum concoctio à calore fiat, sic aliquis fortasse dubitabit. Multa viuen-

viuentia dantur frigidissima, vtputa Salamandra, quod animal propterea in igne viuere inquiunt Naturales: inter pisces torpedo est piscis etiam frigidissimus; inter plantas denique papauer, mandragora, hyoscyamus, & similes recensentur, quas tamen calore mediante nutriri videtur impossibile, cum frigidissimæ sint, quare non omnis concoctio semper à calore fit.

Respondetur, plantas & animalia supradicta tametsi respectu nostri frigidiora sint, nihilominus ad hoc vt viuant, calore vtique indigent, nam vita nihil est aliud, quam caloris naturalis duratio, quo insuper extincto vita desinit, morsque subsequitur. Calore aliquo prædita sunt vtique viuentia relata, calore inquam exiguo, quamquam frigidi temperamenti sint, vnde & pauco etiam indigent alimento.

His verò de nutritione examinatis, atque in sententia Arist. suppositis, circa eandem nutritionem nonnullæ dubitationes discutiendæ sese offerunt, & primò, vtrum ad vitæ conseruationem nutritio viuentibus necessaria sit? nimirum potentia nutritiua data est viuentibus à natura, vt ipsa mediante augmentatio celebretur, & viuentia perfe-

ctam quantitatem adipiſcantur; quare illa adepta ceſſat neceſſitas. & ſic nutritiò viuentibus non eſt neceſſaria.

Secundò multa viuentia reperiuntur, quæ ſine nutritione viuunt, vt ſunt, exempli gratia, ſerpentes, teſtudines, & alia ſimilia, quæ diutius conſeruantur abſque vllo alimento: quare etiam ſine nutritione, & per cōſequens nutritio non ſemper eſt neceſſaria.

Tertiò per nutritionem acceleratur mors, quia per nutritionem conſumitur pabulum, & calor, cuius beneficio actiones vitales cunctæ perficiuntur. ergò tantum abeſt, vt nutritio viuentibus neceſſaria ſit, vt è contra noxia videatur.

Quarto, vita conſiſtit in vnione animæ cū corpore, ſed hæc maximè conſeruari poteſt etiam ceſſante nutritione, ergo nutritio ad vitam minimè neceſſaria videtur. & quod anima cum corpore etiam ſine nutritione conſeruari valeat, patet ex eo, quoniam nulla forma ſeparatur à materia, niſi actione mediante contrarij agentis, ſed animæ rationali, exempli gratia, nihil contrariatur; quarè anima rationalis abſque nutritione maximè cōſeruari poteſt, & per conſequens viuens homo nutritione non indiget.

Quin-

Quintò, vt inquit Arist. 8. Phys. 23. nutritio non est necessariò continua: quia interdum expedit vt alimentum minimè exhibeatur.

Denique viuens in minori quantitate substantiæ conseruari potest. ergò etiam sine nutritione, & sic nutritio viuentibus minimè necessaria.

Quidquid tamen de his sit, potentiam nutritiuam ad vitam necessariam esse res est luce ipsa clarior; nam sicuti calor innatus continuò agit in substantiam viuentis, ipsamque resoluendo dissipat, ita etiam continua refectione partium deperditarum indiget, quod nutritiua potentia mediante assequitur. Vnde Arist. 2. de anima contex. 48. potentia nutritiua inquit vis animæ est ad conseruandum ipsam viuentis substantiam à natura procreata, vt viuens tamen est; & quamuis multa etiam specie diuersa efficiat, vt puta lac sanguinem & huiusmodi alia, ipsa tamen vna est, quia diuersitas operationum non ex ipsa, sed ex diuersitate membrorum prodit, in quibus subiectatur.

Non obstant autem quæ in contrarium afferebantur. & primò negatur, potentiam nutritiuam fuisse à natura solum institutam, vt

per illam viuentia perfectam quantitatem adipiſcantur: nam finis principalis nutritiuæ potentiæ eſt conſeruatio indiuidui, non autem quantitas, ſeu indiuidui augmentatio.

Secundò negatur etiam reperiri viuentia quæ ſine nutritione viuant, nam ſerpentes, teſtudines, vel alia huiuſcemodi animalia per longum tempus ſine alimento extrinſeco viuunt, non tamen ſine intrinſeco. quia cum animalia hæc temperamenti frigidioris calore naturali non abundent, multis alimentis extrinſecis non indigent, & ſic diutiùs ſine iiſdem vitam traducunt.

Tertio vtique calor aſſiduo diſſipat viuẽtis ſubſtantiam, ſed ſi nutritiua potentia non adeſſet, qua mediante reſtaurantur partes cõſumptæ, viuentia animalia citiùs interirent.

Quartò tametſi animæ rationali nihil contrarietur, nihilominus, deficiente vegetatiua anima, quæ conſeruatur mediante potentia nutritiua, deficit etiam vita: quia vt alibi audiuiſtis moritur homo, vt viuens, non autem reduplicatiuè vt rationalis eſt.

Quintò ex Ariſt. 8. phyſ. 23. nutritio non eſt viuentibus continuò neceſſaria, vtique veriſſimum id eſt, ſi de nutritione extrinſeca intelligamus, ſicuti & Ariſt. intelligit, hoc eſt

de

de ciborum aſſumptione; non tamen de nutritione intrinſeca, neque de hac Ariſt. verba intelligenda ſunt.

Quemadmodum, & ſi in minori quantitate ſubſtantiæ viuens conſeruari valeat, attamen ſine nutritione viuere minimè poteſt, cum nutritio partiumque deperditarum reſarcitio ſemper neceſſaria ſit; tandiù enim viuimus, quamdiù nutrimur, vt Ariſtot. dixit: ſicuti tamdiù lucernæ lumen viuit, quamdiù oleo foueatur; aliàs oleum ſi minimè addatur lumen extinguitur: vt alimento partibus per nutritionem non exhibito vita pariter deſinit. Atque ita nutritio viuentibus ſummopere neceſſaria eſt; vt melius videre poteſtis apud Ludouicum Mercat. lib. 1. part. 5. de anima, eiuſque potentijs.

DISPVTATIO XIII.

FAcultas nutritiua, an temperamentum ſit, vel aliquid ſupra ipſum, alia eſt quæſtio circa nutritiuam diſcutienda, quam etiam Mercatus loco ſupra allato examinat. Non verò eſſe aliud quam ipſum temperamentum, ſic probari poſſe videtur. omnes actiones naturales prodeunt à temperamen-

to, ergò necessarium non est aliam assignare facultatem, quia tali pacto duo essent accidentia vnum & idem peragentia, quod non potest admitti.

Quod autem omnes naturales actiones à temperamento proficiscantur colligitur ex Gal. pluribus in locis, presertim verò 4.meth. cap.4. vbi facultatem in temperamento consistere statuit. 3.de caus. sympth. cap. 5. læso temperamento actionem & concoctionem ventriculi quoque lædi, & 2. de locis affect. ad conseruandas facultates temperamentum seruandum esse iubet. quare facultates nihil aliud sunt, quam ipsum temperamentum.

Secundò, facultas nutritiua nihil aliud agit vel intendit, quam assimilare alimentum ad formam nutriti, ad quam actionem perficiēdam temperamentum satis est. ergò temperamentum facultas ipsa nutritiua est. Quod autem temperamentum sufficiens sit ad alimenti assimilationem, colligitur ex eo, quia ipsum temperamentum cōseruat partes iam assimilatas, ergò potens erit etiam ad assimilandum; nā ijsdem conseruamur, quibus nutrimur, vt est axioma decantatum apud Medicos, quod tam subiectiuè, quam etiam effectiuè intelligendum est.

Tertiò

Tertiò concoctio operatio est nutritiuæ potentiæ, quæ tamen à temperamento perficitur, nam concoctio est perfectio à naturali & proprio calore, proprius verò calor à nonnullis temperamentum dicitur. quarè temperamentum à nutritiua non differt.

Denique operationes nutritiuæ potentiæ, sunt etiam attractio, retentio, expulsio, quæ etiam à temperamento exercentur. Igitur temperamentum nutritiua potentia est, vt à principio intendebatur.

Et quod temperamentum satis sit ad huiusmodi tres operationes peragendas clarissima res est exemplo magnetis, succini, vel pharmaci electiuè purgantis. hæc etenim à proprio temperamento trahunt absque vlla alia facultate.

Verum de his in contrarium allatis quidquid sit, potentiam nutritiuam aliquid amplius esse supra temperamentum res est luce clarior. nam temperamentum qualitas siuè accidens est, quo facultates tanquam instrumento vtuntur ad proprias actiones obeundas: est quidem temperamentum aliquo modo causa actionum naturalium, & non causa principalis, sed secundaria: sicuti ignis concausa nutritionis est ex Arist.2.de anim. con-

tex.

tex. 50. hoc est facultas nutritiua est causa principalis, concausa verò & instrumentum est ignis.

Ad argumenta verò in contrarium allatà sic respondetur. & primò quod duo accidentia ad vnicam eandem actionem concurrant haud inconueniens dicitur, dummodò alterum alteri subordinetur, veluti temperamentum est facultati nutritiuæ subordinatū.

Et cum ex Gal. locis assignatis, facultatem in temperamento consistere dicebatur, atque læso temperamento, etiam facultatem vitiari; respondetur non ideò hæc asseruit Gal. vt nutritiuam à temperamento nollet differre. sed potiùs vt significaret facultatem absque temperamento minimè agere, vtpote sine suo instrumento: vt etiam alio in loco, quando protulit, temperamento læso etiam facultatem affici apertè significauit; quod temperamentum sit aliud à facultate, & sensus est, quod temperamento læso læditur facultas, quoniam læso instrumento, facultas non rectè operatur.

Prætereà quòd temperamentum valeat assimilare alimentum alito per se, negatur, sed tanquam instrumentum facultatis nutritiuæ tantum id agere posse dicimus, qua etiam ratione,

tione, vt inſtrumentum facultatis nutritiuæ partes aſſimilatas conſeruat.

Maximè etiam negari poteſt, quod temperamentũ ſit calor naturalis, differunt enim hæc duo inter ſe. ſed dato etiam hoc & non conceſſo, ſi temperamentum concurrit ad concoctionem, id minimè facit per ſe, ſed vt inſtrumentum nutritiuæ facultatis.

Et denique magnes, ſuccinus, pharmaca purgantia, & alia ſimilia, tametſi à proprio temperamento ad ſe trahendi vim habeant, nihilominus in viuentibus alia ratio eſt, quoniam attractio exempli gratia, alimenti in viuentibus operatio eſt facultatis nutritiuæ, cui temperamentum vt famulus, vel vt instrumentum inſeruit. Et ſic nutritiua facultas cum temperamento formaliter idem non eſt, ſed ſupra ipſum temperamentum aliquid amplius.

Circa eandem verò nutritionem, ſiuè potentiam nutritiuam altera dubitatio eſt, vtrũ potentiæ dictæ nutritiuæ aliquod peculiare obiectum inſeruiat, idque viuens ſit. Nam vt inquit Ludouicus Mercat. nutritiua virtus nulli eſt peculiariter alligata membro, verũ per omnes corporis partes, quæ propriè nutriuntur æqualiter diſtributa eſt: diximus propriè,

priè, ad distinctionem eorum, quæ propriam nutritionem haud habent: verum per extrinsecam additionem augentur, cuiusmodi illa sunt, in quibus anima minimè reperitur, neque propria virtus nutritiua vt sunt pili vngues & similia.

Verum aduersus hanc Mercati opinionem cum Arist. primo aliquis insurget; qui facultatem nutritiuam in corde esse docuit. Gal. etiam de Hipp. & Plat. placitis hanc eandem facultatem in hepate posuit. quare peculiarem partem nutritiua potentia habet, in qua principaliter etiam suam exercet operationem.

Quidquid tamen de his sit, Mercati sententiam tuetur Arist. in lib. de iuuentute, & senect. omnes corporis partes inquiens à primis naturæ rudimentis internum atque natiuum calorem obtinent, quo cibum conficiunt, ergò virtus nutritiua in qualibet corporis parte, viuente tamen, reperitur, non autem in parte peculiari. Siquidem si sedem haberet in parte peculiari, vel huiuscemodi cor esset, sicut Arist. sectatores profitentur, aut iecur, vt Gal. Non quidem in corde reperiri peculiariter virtutem nutritiuam affirmari potest, quia si hoc esset, sequeretur ad actio-

actiones proprias cuiusque membri calore innato à principio generationis cōtracto nequaquam opus esse, sed satis esset viuenti animali influentem à corde calorem sortiri, cū talis calor immediatè fluens sit à principio generationis, vel vbi residet nutritiua potentia. & eadem ratione neque etiam in iecore eandem nutritiuam residere affirmari valet, cum vt superiùs affirmabatur ex Aristot. natiuus cuique parti insit calor, à quo nutritio celebratur.

Neque obstant, quæ in contrarium afferebantur: nam quoad Arist. tametsi calor instrumentum principale nutritiuæ facultatis sit, atque idem calor à corde emanet, duos tamen calores in viuēte adesse dicimus, nempè calorem cuilibet parti innatum, vel calorem à corde influentem. atque principale nutritiuæ potentiæ instrumentum illum quidem esse dicimus; hunc verò nempè influentem adiuuare atque fouere calorem partibus innatum, à quo nutritio principaliter exercetur. Quare negatur, quod cor nutritiuæ potentiæ sit propriè principium, quia impropriè & secundariò eidem famulatur. nam cōcoctio ex Arist. in 4. meteorol. perfectio est à naturali & proprio calore, à calore scilicet naturali

turali viuentis partis cõcoctio fit,atque etiam nutritio principaliter, ſecundariò verò à calore influente, & qui in corde generatur. Qua eadem ratione, & Gal. teſtimonio reſpondetur, nempè iecur eſt organum,in quo reſidet principaliter nutritiua potentia; ſi per nutritionem intelligamus ſanguinis concoctionẽ, atque eiuſdem præparationem ad ipſam cõcoctionem, hac vtique ratione conceditur: ſi autem per nutritionem intelligamus propriã conuerſionem alimenti in ſubſtantiam aliti, ſane hæc in qualibet parte corporis exercetur operatio; & ſic potentia verè nutritiua in qualibet corporis parte viuente reſidet, non autem in parte aliqua peculiari.

Cum autem nutritio in qualibet corporis parte fiat, viuente tamen, atque propriè nutritio nihil aliud ſit,quam conuerſio alimenti in ſubſtantiam aliti, quæret etiam aliquis; Vtrum hæc conuerſio fiat in inſtanti an verò in tempore? & breuiter cum huiuſmodi cõuerſio formaliter tranſmutatio ſit, atque generatio particularis, dicendum eſt quod in inſtanti fiat. Si autem nutritio eadem diſpoſitiuè conſideretur, ſucceſſiua mutatio dici poteſt. Nam hic eſt ordo qui in nutritione ſeruatur. Primò alimentum ſumitur, & in ore

ore dentibus contritum præparatur ad coctionem in ventriculo deinde celebrandam; atque venis mesenterei. Secundò idem alimentum propria forma denudatum, atque in chili speciem commutatum in iecore recipitur, vbi secunda vice coctum, sanguinis formam adipiscitur. ex iecore subinde idem sanguis per venas ad partes alendas demandatur, atque in secundas humiditates transformatus, nempè primam humiditatem ros, cambium, gluten, denique gluten vltima humiditas in substantiam aliti conuertitur, hoc est in instanti partis viuentis formam adipiscitur; & sic alimentum viuens pars euadit, atque nutritio perficitur, qua nutritione expedita ad augmentationem accedamus.

DISPVTATIO XIV.

ABsoluta potentia nutritiua, nunc locus postulat vt de augmentatiua verba faciamus, vel de ipsa augmentatione; neque augmentatione quacumque, sed de augmentatione propriè dicta, & quæ viuẽtibus inest; de hac autem viuẽtium augmentatione, duo præcipuè in hac disputatione examinanda propono. Primò quot requirantur conditiones

tiones ad ipsam augmentationem. secundo quomodo augmentatio, vel extentio fiat.

Et quidem quoad primum, Aristo. in primo de ortu & interitu ad augmentationem tres conditiones requirit; & prima est, vt ex aliqua extrinsecus materia adueniente quælibet augmentatio fiat. Secundo vt id quod augmentatur idem numero semper maneat postquam auctum est. Tertia denique conditio, vt non modo ipsum viuens totum augeatur, & maius fiat, verum etiam omnes & singulæ illius particulæ.

His verò positis circà cōditiones augmētationis, ad secundū quæsitū, id est, quo modo augmētatio fiat, variæ opiniones sunt, nā alij augmentationem partium, atque totius corporis viuentis per pulsum fieri asseuerarunt, nempè vt vna pars pellat aliam, & alia aliam: quemadmodum contingit in vnguibus, & alijs similibus, crescunt enim vngues, & maiorem quantitatem sibi adipiscuntur per iuxta positionem nouæ semper materiei, & per pulsum vnius partis ad aliam, dum inferior pellit superiorem. Sed hanc opinionem ego non libenter recipio, quia pulsio dicta non potest facere in quacumque viuentis corporis paraicula augmentationem, sed solum in illa,

illa, cui pars nutriens, vel augeſcens apponitur, ac tamen ſuperius inter conditiones veræ augmentationis requiritur, vt fiat augmentum in qualibet corporis particula.

Alia ſententia eſt, quod augmentatio per extentionem fiat maioris quantitatis, & pro maiori intelligentia in exemplum adducunt ſpongiam, quæ ſi manu priùs conſtringatur, poſteà remittatur, certum eſt, quod remiſſa multum augetur per ſolam extentionem eiuſdem quantitatis, quam priùs habebat; & hæc ſententia ita putat accidere in corporis viuentis partibus, cum ſcilicet earundem poroſitates nouo ſanguine & carne procreatis reficiuntur, tunc enim extenduntur pariter & rarefiunt, maioremque locum occupant; atque ita per extenſionem quantitatis augmentatio fit, & non aliter, nec alio modo, & hæc ſententia mihi magis arridet.

Sed contra illam ita aliquis fortaſſe opponet. Contrariorum contrariæ ſunt conditiones, Accretio & imminutio contrarij motus ſunt: quare contrarijs etiam modis fieri debent. Vnde ſi accretio fiat per extenſionem, diminutio fiet per contractionem, quod tamen nemo ex Philoſophis vſque adhuc dicere auſus eſt.

Secundo homogeneum corpus non potest ex se moueri, inquit Arist. 8. Phys. tex. 30. at caro homogeneum corpus est, quare ex se ipsa augeri minimè potest; accretio igitur neque etiam fit per extensionem.

Quidquid tamen sit de his & alijs argumentationibus, quæ præcipuè afferuntur à Iacobo Zabarel. lib. de facult. animæ cap. 8. cum de accretione ac diminutione agit. Quoad primum argumentum dico verum quidem esse contrariorum contrarias vt plurimum esse conditiones. quare si augmentatio fiat per extensionem ex materia nouiter adueniente, etiam diminutio per eiusdem materiei subtractionem fiat necesse est, non tamen per contractionem solummodò, sed per ablationem quantitatis imminutio fit propter ablationem alimenti factam,

Ad secundum, homogeneum corpus ex se ipso non mouetur: at homogeneum vel animatum, vel inanimatum esse potest; homogeneum inanimatum per se augeri non potest; conceditur, animatum verò negatur, cum homogeneum animatum sit pars corporis heterogenei & anima prædita, & ideò ex se ipsa possit moueri. præterea in tex. allato, neque etiam Aristot. id docet, quod in

con-

contrarium arguentes aſſerunt; ſiquidem ſermo erat eo loci Ariſtoteli de continuo homogeneo, & dixit non poſſe moueri continuum homogeneum ex ſe ipſo, cum vna pars alteram trahere nequeat, tamquam ſcilicet eiuſdem eſſentiæ & naturæ; nos verò cum carnem, exempli gratia, augeri & moueri dicimus, non id intelligimus quaſi vna pars carnis alteram trahat, & altera alteram, & ſic de ſingulis: ſed carnem augeri & moueri totam dicimus ab anima ipſa, ideoque Ariſtot. 2. de gener. & corrupt. 2. etiam de anim. tex. 41. Cunctis, inquit, viuentibus poſuit natura terminos magnitudinis, atque augmentationis, quippe, quia anima ipſa ſit quæ augmentationem & magnitudinem efficit.

Sed vlteriùs oppones. Si augmentatio ab anima totius corporis viuentis quantitatem extendente efficitur. ergò cum eadem anima in viuentibus ſemper adſit ſemper etiam faciet accretionem, quod tamen in adultis, & in conſiſtentè ætate poſitis hominibus minimè conſpicitur.

Reſpondetur, quod vtique ex parte animæ ſemper in viuentibus augmentatio daretur, cum anima eadem & ſemper viuentibus

adsit,& numquam imbecillis euadat per Arist. 1. de anim. contex. 65. Vnde si oculus iuuenis esset in sene, vtique vt iuuenis etiam videret senex, vt Arist. asserebat. Sed defectus augmentationis in adultis,aut consistentibus viuentibus ex alia causa oritur, quam ex anima; nempè quia præcipua pars quæ in viuentibus augeri dicitur, & ad cuius incrementum corpora augentur secundum omnes dimensiones ossa sunt, quæ quidem ossa in principio id est in pueritia & vsque ad iuuentutem sunt valdè humida, ita vt extendi facilè valeant, in iuuentute autem cum sicciora euadant difficilioris etiam sunt extensionis, & sic viuentia per totam vitam minimè augentur, ex defectu scilicet augmentationis ossium, quæ à calore naturali exiccantur, ita vt non ampliùs extendi valeant.

Sed tandem dicet Medicus studiosus; refert Schench.lib.6.obseru. medic. obseru.41. mulierem quandam ex febre quartana euasisse giganteam,quare cum vnaquæque febris exiccet, signum est quod siccitas non prohibet augmentationem.

Respondetur; per siccitatem prohiberi augmentationem sensu ipso constat, nam humida extenduntur, non autem sicca, neque

obstat

obstat virginem relatam ex quartana febre gigantem magnitudinem adeptam fuisse, quia tale augmentum non ex siccitate obtinuit, sed ex quartana, quoniam quartana tanquam longa febris excrementa sui corporis consumpserat, iisque natura leuata iterum, atque iterum eam auxit & giganteam reddidit, cum præsertim virgo illa relata in duodecimo anno suæ ætatis constituta esset, vt Schenchius refert, quo tẽpore ossa adhuc humida, & accretioni maximè apta erant.

DISPVTATIO XV.

Dicebamus in superiori disputatione cũ Arist. tres requiri cõditiones ad quamcumque viuentis augmentationem: nempè, vt ex materia extrinsecus adueniente augmentatio fiat, vt idem numero maneat à principio vsque ad finem, quod augetur, & denique, vt non modo ipsum totum, verum etiã, viuentis quælibet pars in augmentatione augeatur, & maior fiat. At idem numero semper esse id, quod augetur, profectò dubitatione non caret. Nam Scotus in 4. sentent. distinct. 44. quæst. 1. & alij quam plures, idem semper manere viuens, quod augetur, ex-

presse negant. Si etenim viuens idem semper esset,eandem materiam, eandemque formam perpetuò haberet, inquiunt, quod tamen affirmari minimè potest.

Et quod neque materia, neque forma eædem semper in viuente adsint à principio vsque ad finem, sic etiam probatur; nam quoad materiam certissimum est, quod continuò fluit, aut resoluitur, & semper de nouo alia, atque alia generatur. sicuti quoad formam perspicuum est, quod anima vegetatiua viuentis forma educitur ex potentia materiei, atque ab eadem materia separari non potest, & ad illius extensionem pariter extenditur; vnde si materia continuò mutatur,etiam anima vegetatiua semper mutetur necesse est; Siquè eadem haud semper est materia, eadem quoque anima perpetuò minimè erit, nisi per æquiualentiam, vt de naui exempli gratia,affirmari solet; huic etenim naui nunc temo renouatur, nunc verò vna, nunc altera pars, ita vt interdum eiusdem materiei, quæ à principio erat nihil amplius adsit; & nihilominus per æquiualentiam eadem nauis dicitur, quia cum materia & forma eiusdem primæ nauis æqualitatem, atque similitudinem habet.Ità igitur inquit Scotus cum nonnullis

nullis alijs in ſene viuente accidit, dicitur quidem idem viuens, ſed non verè & realiter, ſed ſolum æquiualenter, quoniam eadem materia, & forma viuentis numericè in augmentatione non remanet, ſed vt continuò hæc duo à calore diſſipantur, ità etiam per eundem aſſiduò regenerantur. Hæc autem Scoti opinio à quamplurimis non recipitur, cum ſecundum Medicos pænè cõmuniter nec materia, nec forma viuentis totaliter per augmentationem mutari valeant, etiam in ſene, & maximè ſene, remanent enim à principio ad finem vſque viuentis ſpermaticæ partes, cuiuſmodi nerui ſunt, venæ, arteriæ, & ſimilia.

Et de anima vegetatiua particulariter loquendo, aſſiduo partes eiuſdem deperdi, atque reſtaurari clariſſimè abſurdum eſt dicere; quia ſi hoc eſſet pluries quoque animam renouari dicendum eſſet, & per conſequens non vnam in tota vita, ſed plures animas viuentia haberent. Quare ſum in ſententia cum D. Thoma, quod neque materia, neque forma in viuente abſolutè mutentur, & ideò idem numero ſemper ſit viuens, quod augetur à principio vſque ad finem augmentationis.

Neque obstat quod superiùs à Scoto, & alijs in contrarium afferebatur, animam scilicet vegetatiuam corrumpi, atque deperdi secundum suas partes ad perditionem materiei, cũ ex materia educatur, atq. ad eiusdem materiei extensionem extendatur. nam licet anima vegetatiua sit materialis, cũ ex potentia materiæ educatur, nihilominus non adeò est materialis, vt formæ sunt inanimatorum, cum quodammodo immaterialis pariter dici valeat ex Arist. lib. de ortu & inter. cõtex. 41. vnde vegetatiuam animam nonnulli mediæ naturæ esse affirmarunt inter materialem, atque immaterialem formam, cum non adeò materialis sit, vt per diuisionem quamcumque materiei, partes etiam animæ diuidantur, quippè cum vegetans anima minimè diuidatur, vt Zabar. docet lib. de facultatibus animæ cap. 18. sed in parte diuisa omninò desinat. Neque etiam immaterialis absolutè eadem anima vegetatiua affirmari debet, cum corrumpatur, non quidem per partes vt materia, sed tota simul, vt inquit idem Zabarel. sicuti etiam tota simul generatur. Vel etiam dicemus corrumpi quidem valere per partes, animam partium, non verò animam cordis: Duæ enim cum eodem Iacobo Zabarel. vegeta-

getatiuæ animæ affirmari possunt, licet vna solum propriè dicta sit, vna scilicet anima vegetatiua est illa, quæ fit in corde, atque in principio generationis, & de hac anima in corde existente Arist. 3. de part. animal. cap. 4. 5. 7. Anima est in corde, vt rex in regno, inquit. Altera verò anima in reliquis corporis partibus reperitur, quæ etiam eadem anima cordis est, atque ab eodem corde in alias partes se se extendit, non autem quia denuò generetur.

Quare ad nostram hypothesim nunc redeuntes, in viuente vna semper est anima, atque idem numero viuens pariter est, quod augetur, sicuti etiam, & idem sensiens: vnde Arist. in superioribus, si oculus iuuenis esset in sene, senex vt iuuenis pariter videret: nimirùm quia defectus visus in sene ex organo deficiente, non autem ex animæ defectu emanat, cum hæc eadem semper sit, nec vnquam deficiat ex eodem Arist. 1. de gener. cõtex. 42. Dum etenim viuens minuitur, quantitas item minuitur, ait idem Arist. non autem forma: & materia in continuo fluxu reperitur non aliter atque aqua in vtre, forma autem semper existit, atque ad instar ipsius vtris. Igitur forma saltem & anima viuentis nequaquam

muta-

mutatur, ſed ſemper eadem in viuente, quoad augetur, exiſtit.

Verum inſurget aliquis. Si eadem forma & anima eſſet ſemper in viuente, ſequeretur, quod vna forma diuerſo tempore plures materias informaret, nam informaret materiam antiquam vel vetuſtam, ac recentem: vnde etiam forma ſubſtantialis de ſubiecto in ſubiectum migraret, & idem eſſet etiam de accidente, neque anima vegetatiua, quoad hoc, ab accidente differret.

Reſpondetur, quod ex nouo aduentu materiæ totum ſubſtantiale minimè mutetur eſſentialiter, ſed tantum accidentaliter, vnde animam non migrare de ſubiecto in ſubiectũ aſſerendum eſt, quod eſt proprium accidentis, ſed potius dici poſſet animam vegetatiuam acquirere nouas, atque nouas materiæ partes, ad hoc vt totum perfectius fiat accidentaliter, non verò ſubſtantialiter, cum dederit vnicuique natura ſuos terminos magnitudinis ac paruitatis, quos terminos cum acquiſiuerint animalia, tanquam in ſuo bono, ac perfecto tandem acquieſcunt, immutata tamen remanente eſſentia.

Aut cum aliquibus dicimus quod migratio de ſubiecto in ſubiectum totalis accidenti

pro-

propria est; animæ verò transmigratio nequaquam totalis est sed partis, cum tota simul anima de subiecto in subiectum nunquam transitum faciat, vt accidentibus contingere solet. atque huiuscemodi trãsmigratio partis de subiecto in subiectũ cõtingit animę vegetatiue ex propria natura, cum totaliter haud materialis etiam sit, sed quodammodo immaterialitatem participet, atque mediæ naturæ sit, veluti superiùs affirmabatur.

DISPVTATIO XVI.

ABsoluta iam speculatione de anima vegetatiua in particulari Arist. contex. 41. huius 2. de anima, quẽ prę manibus habemus. de anima sensitiua tractationem aggreditur, & ita loquitur (determinatis autem his dicamus communiter de omni sensu; sensui autem in eo quod est moueri aliquid & pati accidit, sicuti dictum est, videtur enim quædam alteratio esse) & quæ sequuntur. Sentire igitur quoddam pati est per Aristot. Verum accidit ne ista passio à simili, an verò à contrario, & à dissimili? nam simile à simili pati nonnulli asseuerarunt, & inter cœteros Empedocles, vt in contex. refert Arist. Si etenim memini-

meministis superiùs lib. 1. de anima examinando idem Aristot. antiquorum sententias circa animæ essentiam, retulit quoque Empedoclis opinionem, asserentis animam constare atque componi ex suis principijs, quæ erant aqua, terra, aer, ignis, lis, amicitia, atque ita in tantum eandem animam sentire pariter asserebat ignem, exempli gratia, in quantum ex igne etiam constat, sicuti aquam quia & ex aqua componatur, & sic de singulis. Quare secundum Empedoclem passio à simili recipitur, & simile à simili patitur: sed hanc opinionem Aristot. in contex. 52. doctissimè impugnat. Si enim verum esset quod sensus componerentur ex sensibilibus sequeretur, quòd ipsi senusſ semet ipsos sentirent, atque etiam sensatio absque alio sensibili exteriori fieri posset; quæ duo vtique falsa sunt; nisi dicamus simile à simili pati ea ratione, quam docuit Aristot. in sermone de agere & pati, & 2. de anim. contex. 59. vbi dixit dissimile est patiens à principio, simile autem in fine, quia agens agendo sibi passum maximè assimilatum reddit.

Sed quicquid sit de Empedoclis sententia sentit ne sensus patiendo tantummodo, an verò etiam agendo? cum Arist. in principio huius

huius textus absolutè pronunciarit, quod sentire est quoddam pati. Prima fronte nequaquam patiendo sensus sentire dicendum videtur, cum illa virtus quæ transmutat aliquid exterius actiua sit non passiua; & sensus transmutat vtique aliquid exterius, vt probatur præcipuè ex visione, quam peragendo mulieres, exempli gratia, inficiunt specula interdum, & basiliscus homines respiciendo interficit & plura alia his similia per similes visiones sæpè contingunt.

Secundò, illa virtus est actiua, cuius operatio est actio, at sentire est actio, quarè sentire actiuè fit, minimè verò passiuè. Quod autem sentire actio quædam sit colligitur ex Aristot. 9. meth. 18. & in lib. sex principiorum, vt refert Iandunus, vbi sentire actio immanens ex Arist. dicitur.

Tertiò virtus formæ est actiua, vt materiæ passiua. sed sensus est forma. sensus ergo actiuè non passiuè operatur.

Quartò virtus nutritiuæ potentiæ est actiua, ergò etiam sentire operatio actiua est, alioquin nutritiua potentia nobilior esset sensitiua.

Et denique si sensus sensiendo sentirent, sensibile esset agens non patiens, ac proindè sensi-

ſenſibile eſſet nobilius ſenſitiua potentia; quod eſt abſurdiſſimum.

His verò non obſtantibus. Sentire eſt quoddam pati, vt Ariſtot. in contex. docuit, atque id optima quidem ratione: nam illa virtus propriè paſſiua dicitur, quæ ab obiecto immutatur. At ſenſus in quo tanquam in ſubiecto ſenſatio eſt, ab obiecto mutatur, ſcilicet à ſenſibile ſpeciem ſuam ſenſui imprimente. ergò ſenſus paſſiua virtus eſt, & ſentire eſt quoddam pati, vt optime Ariſt. docet. Sed circa hanc dictionem, pati, cum Ariſtot. infra tex. 57. 58. animaduertendum eſt, quod paſſio alia eſt perfectiua, alia corruptiua: nam corruptiua paſſio eſt, quæ fit per introductionem contrarij, cum ſcilicet in ſubiecto aqueo exempli gratia, ex igne caliditas introducitur, eaque introductio per corruptionē contrarij frigoris agitur, & hæc propriè paſſio dicitur. Perfectiua vero paſſio vocatur, per quam in ſubiecto abſque contrarij corruptione perfectio aliqua introducitur, vt verbi gratia, quando in corpore diaphano lumen introducitur, ex qua quidem luminis introductione nulla accidit contrarij corruptio, & ſubiectum nihil deperdit, ſed ſolum acquirit: vnde paſſio perfectiua propterea etiam à

Phylo-

Phylosophis appellatur. Ad nostram ergò quæstionem nunc redeuntes, quandò Arist. dixit sentire esse quoddam pati, sentire & pati perfectiuum intellexit, non autem corruptiuum.

Et hac posita distinctione ad primum argumentum in contrarium allatum. Respondetur potentiam sensitiuam non ex se extrinsecùs aliquid permutare, sed per accidens, & quatenus oculi aliquid in exteriora excernunt, vt accidit, cum specula à mulieribus inspecta inficiuntur: nimirum putridi vapores ex earundem oculis respicientibus emanant, ac inficiunt specula: non autem quia per se à potẽtia visiua huiusmodi fiat operatio: nam & noctu etiam, ac minimè vidente, mulierum potentia visiua, si tamen specula dicta earumdem oculis præponantur etiam infectio, aut aliqua labes ijsdem communicabitur.

Ad secundum respondetur, quod sentire iuxta primam operationem potentiæ visiuæ consideratum, quatenus videlicet recipit species sensibiles, nequaquam actio est, sed passio, & hac ratione considerando sensitiuam operationem passionem appellat etiã Arist.

Et quamuis forma actiua potentia sit, nihilominus potest etiam passiua virtus esse, si

tamen

tamen de passione perfectiua loquamur, vt supra, atque ita potentia sensitiua est etiam passiua virtus, cum veluti forma materialis perfectionem aliquam recipere possit. Neque valet, si quis dicat materiam non posse esse actiuam, ergo neque formam posse esse passiuam; nam materia non se habet ad potentiam actiuam sicut forma ad passiuam. imperfectum enim ens materia est, neque vllum ex se actum possidet, quare nulla pariter actiua potentia eidem tribui perfectiuè potest; forma autem è contra materialis sicuti sensitiua, non est ens perfectissimum, & ideò aliqua alia perfectio eidem cumulari potest, sicuti sentire est, vel pati perfectiuũ.

Quartò, virtus nutritiua, obijciebatur, est actiua, ergò etiam sensitiua; nam aliàs nutritiua nobilior sensitiua esset. Respondetur verum esse, quod virtus actiua est nobilior passiua, sed non omni, solum enim est nobilior passiua sibi correspondente, quod in casu nostro minimè accidit.

Denique si sensus patiendo sentit, sequitur quod sensibile & obiectum sit nobiliùs ipso sensu & potentia sensitiua. Respõdetur quod sensus vt patitur, & quatenùs potentia passiua est, facilè potest concedi quod sit ignobi-

lior

lior obiecto suo, attamen secundum suam essentiam si consideretur facultas sensitiua, nequaquam est ignobilior, nam sensus non habet hanc tantum operationem, quæ est pati à sensibili, sed etiam illam, quæ est sentire, & est operatio actiua, & proculdubio nobilior omni obiecto formæ sensibilis; vt visio exempli gratia, operatio nobilior est quocumque colore, & sic de alijs.

DISPVTATIO XVII.

POstea quam Arist. docuit, quomodò sensus sentiant, quomodò agant, & patiantur, & qua ratione in actu vel potentia esse dicantur, in tex. 63. quem hodie discutiendũ habemus, de sensibilibus decernere aggreditur; de sensibilibus inquam; quia vt superiùs affirmabamus sensibilia, & obiecta potentijs atque sensibus notiora sunt. Dicitur autem sensibile, inquit Arist. tripliciter, quorum duo dicimus per se sentiri, vnum autem secundum accidens. Duorum autem aliud quidem propriũ est vniuscuiusque sensus, aliud autem commune omnium. Dico autem proprium quidem, quod non contingit alio sensu sentiri, & circa quod non contingit decipi

vt visus coloris, & auditus soni & gustus saporis, tactus autem plures habet differentias, sed vnusquisque iudicat de his, & non decipitur quod color sit, neque quod sonus, sed quid sit coloratum aut vbi, aut quid sonans, aut vbi. Talia igitur dicuntur propria vniuscuiusque. hæc habet Arist. vsque ad tex. 64. nempè diuidit primò Arist. sensibile in sensibile per se, & sensibile per accidens: in sensibile scilicet quod per se sentitur, & sensibile quod per accidens sentitur. Atque sensibile per se rursus diuidit in sensibile proprium, & sensibile commune. Sensibile autem propriũ illud esse postremò subdit, quod alio sensu percipi non contingit, & circa quod neque sensus decipitur: vt exempli gratia, sensibile proprium visus est color, auditus sonus, gustus sapor. Verum circa sensibile proprium vtrum sensus decipi valeat, quæstio est apud Philosophos non parua: nam virtus quæ potest aliquid percipere sub alia dispositione quam sit, potest vtique decipi. Sed sensus particularis suum sensibile alterius dispositionis iudicare valet, quàm sit. ergò particularis sensus circa proprium obiectum siue sensibile decipi potest. Quod particularis sensus suum sensibile alterius dispositionis, quam sit iudi-

care

care valeat. Probatur ex eo, quia visus, exempli gratia, iudicat aliquod obiectum esse coloris nigri interdum, cum tamen albi, viridis, vel punicei sit.

Secundò, vt se habet intellectus ad intelligibi e, ità sensus ad sensibile per Arist. 3. de anim. contex. 3. verum intellectus circa proprium intelligibile aliquando errat; quare etiam sensus circa propria sensibilia potest errare.

Quidquid tamen sit de his argumentationibus communis est sententia, & cum Arist. in contex. vbi audiuistis, sensum circa proprium sensibile decipi non posse. Atque pro maiori intelligentia huius quæstionis, sciendum est, quod ad hoc vt sensus circa propriū sensibile non decipiatur tria præcipuè requiruntur: Nempè vt sensus in debita atque proportionata distantia ad sensibile se habeat: secundò vt organum sensationis in statu naturali reperiatur, beneq. dispositum sit; & denique vt medium sensationi inseruiens etiam naturaliter se habeat, atque perfectè dispositum sit ad sensationes perficiendas.

His verò præmissis vel declaratis. Ad primum argumentum, negatur sensum visus obiectum nigrum, exempli gratia, cognosce-

re vel sentire, vt album, viride, puniceum, aut alterius coloris; neque potest id accidere ex defectu sensus in quantum est facultas sensitiua, & quid immateriale: Nam sensus vt facultas animæ est, & quid immateriale semper idem est. sique interdum aliquam exerceat falsam actionem circa suum obiectum, id per accidens fit, & vel ex parte organi accidit, aut respectu alterati medij, vel propter improportionatam distantiam.

Secundò, vt se habet intellectus ad intelligibile, ita & sensus ad sensibile, maximè cōceditur; sed negatur, quod intellectus circa proprium intelligibile fallitur, hoc est circa quidditatem, nam intellectus per se quidditatem apprehendendo simplici apprehensione intuitiua, nequaquam decipitur, vel decipi potest; decipitur autem per accidens quatenus componit vnam quidditatem cum altera vel easdem segregat, aut diuidit. Cum igitur sensui suum proprium sensibile cum altero componere non competat, & nihil aliud cognoscat, quam suum sensibile: ideò sensus circa proprium sensibile per se non decipitur, sensus inquam particularis, vt alibi melius fortasse explicabimus.

Communia autem sensibilia, subdit Arist.

in

in contex.64. sunt motus, quies, numerus, figura, magnitudo, huiusmodi enim nullius sunt propria, sed communia omnibus: etenim, & tactu motus aliquis sensibilis & visu. Circa quæ verba occurrit etiam dubitare, quomodò dicat Arist. sensibilia communia esse omnibus sensibus communia: nam & si motus tactu & visu percipiatur, vt Aristot. in contextu ait, nihilominus gustu & auditu non sentitur: vt etiam alia sensibilia communia numerus, figura, quies, magnitudo sensu quolibet ex particulari nequaquam cognoscuntur. Ioannes Alexandreus respondet ad hanc difficultatem breuiter, asserendo, quod Aristot. cumulatiuè locutus fuit, nempè quando asseruit communia sensibilia omnibus sensibus communia esse, non intellexit ita, vt quolibet sensibile commune à quolibet sensu etiam particulari cognosci valeat: vtputa, quod motus exempli gratia, cognoscatur à visu, tactu, auditu, gustu, & olfactu, & sic etiam alia communia sensibilia, sed sensibilia communia omnibus sensibus communia esse dicit Aristot. intelligendo cumulatiuè, quia non vno tantum atque particulari sensu cognoscuntur, sed pluribus, & nullum est quod non cognoscatur

talsè sit per accidens id habet, non per se.

Quidquid tamen de his sit, sentire quoddam pati est ex Philosopho in superioribus, vnde quod in sensu passionem efficit, vtique sensibile per se est, & talia sunt sensibilia communia, quia ex eodem Arist.contex.63. 2. de anima, sensibilia per accidens nullam cõcitant in sensibus passionem. Duplici enim ratione mutatio, vel passio accidere potest, nempè primo quantum ad speciem agentẽ, species enim coloris albi exempli gratia, in sensu visus recepta, in eadem potentia visiua, quatenus species est passionem facit. Alio verò modo accidit passio in potentia visiua non quantum ad speciem agentis, sed quantum ad modum actionis, nempè species sensibiles mouent sensus, vt tales sunt specificè, & vt quantæ, vel vt plures quoad numerum. & sic numerus etiam & quantitas cum ad passionem potentiæ sensitiuæ concurrant per se etiam sensibilia sint, non verò per accidens.

Ad argumenta igitur in contrarium adducta,& primo ad primũ respõdetur. Sensibilia communia interdũ sensibili proprio non per accidens,sed necessariò coniuncta esse; vnde sensibilia per se vtique etiam sunt: cum per se

in

in sensibus species imprimant.

Secundò, entia mathematica non sunt per se sensibilia, verum id est de sensibilibus proprijs & primarijs, non autem de cõmunibus & secundarijs. cum autem Arist. entia mathematica à sensibilibus abstrahere asseruit, de sensibilibus proprijs intellexit, non de communibus.

Præterea ad tertium respondetur, quantitatem non esse de virtutibus actiuis actione contrarij, at suam pariter & aliquo modo habere actiuitatem, sicut etiam qualitates passiuæ in ordine ad generationem suarum specierum actiuæ dicuntur: vel possumus dicere quantitatem esse de virtutibus actiuis actione spirituali agentibus. & sic quantitas sensibile per se etiam erit.

Quartò, tametsi numerus sensim, atque ab alio diuisibili separatus sensibilis non sit; in alio tamen existens maximè sensibilis est. vnde sensibilia communia sensibilia per se etiam erunt.

Denique numerare solius mentis est. Respondetur cum Alexandro ex Aristot. solam mentem vim habere percipiendi formam numeri, vt numerus est: at sensus licet formã numeri minimè cognoscat, apprehendit tamen

pluribus, etiam si aliqua non cognoscantur omnibus.

DISPVTATIO XVIII.

DVorum autem aliud quidem proprium est vniuscuiusque sensus, aliud autem commune omnium, dixit superius Aristot. si meministis; nimirum sensibilia per se sunt duplicis generis, quædam communia, & quædam propria. verum dubitabit aliquis, vtrum sensibile commune, sit sensibile per se? nam illud quod accidentaliter sensibili proprio coniunctum est, non potest esse per se sensibile; at communia sensibilia sensibili proprio maximè accidentaliter coniuncta sunt. ergò sensibilia communia sensibilia per se non sunt, sed solum per accidens.

Et quod sensibilia communia sensibili proprio solum per accidens coniuncta sint, ex eo colligitur, quoniam colori & sensibili proprio visus non nisi per accidens quantitas coniungitur, & ideò dum color perspicitur per accidens etiam quantitas videtur, per accidens inquam quia visus seu potentia visiua prima intentione colorem respicit, postea verò, quantitatem, neque etiam quantitas

absque

absque colore conspici valet.

Secundo entia mathematica per se sensibilia non sunt, quia entia mathematica abstrahunt à sensibilibus per Aristot. 2. phys. contex. 8. et. 7. meth. 35. 39. Sensibilia autem nonnulla communia, vtputa numerus, & quantitas entia quippè mathematica sunt: quarè numerus & quantitas non sunt per se sensibilia.

Tertiò sensibile quodcumque per se speciem se representantē generare debet, quod tamen quantitas agere minimè valet: ergò quantitas commune sensibile per se non est, sed per accidēs. & quod minime valeat quantitas speciem se representantem producere, ex Aristot. colligitur 4. phys. 24. vbi asserit quantitates non esse de virtutibus actiuis, & sic cum quantitas non sit actiua, speciem se repræsentantem producere non potest.

Quartò quod ex insensibilibus componitur sensibile non est per se. quare numerus per se sensibilis non erit, cum ex insensibilibus compositionem habeat.

Et denique numerare solius mentis est, vt notat Aristot. in phys. vbi de tempore agit, & Alexandreus etiam recenset. Igitur numerus commune sensibile non est, aut si for-

pluribus, etiam ſi aliqua non cognoſcantur omnibus.

DISPVTATIO XVIII.

DVorum autem aliud quidem proprium eſt vniuſcuiuſque ſenſus, aliud autem commune omnium, dixit ſuperius Ariſtot. ſi meminiſtis; nimirum ſenſibilia per ſe ſunt duplicis generis, quædam communia, & quædam propria. verum dubitabit aliquis, vtrum ſenſibile commune, ſit ſenſibile per ſe? nam illud quod accidentaliter ſenſibili proprio coniunctum eſt, non poteſt eſſe per ſe ſenſibile; at communia ſenſibilia ſenſibili proprio maximè accidentaliter coniuncta ſunt. ergò ſenſibilia communia ſenſibilia per ſe non ſunt, ſed ſolum per accidens.

Et quod ſenſibilia communia ſenſibili proprio ſolum per accidens coniuncta ſint, ex eo colligitur, quoniam colori & ſenſibili proprio visus non niſi per accidens quantitas coniungitur, & ideò dum color perſpicitur per accidens etiam quantitas videtur, per accidens inquam quia viſus ſeu potentiá viſiua prima intentione colorem reſpicit, poſtea verò, quantitatem, neque etiam quantitas

abſque

abſque colore conſpici valet.

Secundo entia mathematica per ſe ſenſibilia non ſunt, quia entia mathematica abſtrahunt à ſenſibilibus per Ariſtot. 2. phyſ. contex. 8. et. 7. meth. 35. 39. Senſibilia autem nonnulla communia, vtputa numerus, & quantitas entia quippè mathematica ſunt: quarè numerus & quantitas non ſunt per ſe ſenſibilia.

Tertiò ſenſibile quodcumque per ſe ſpeciem ſe repreſentantẽ generare debet, quod tamen quantitas agere minimè valet: ergò quantitas commune ſenſibile per ſe non eſt, ſed per accidẽs. & quod minime valeat quantitas ſpeciem ſe repreſentantem producere, ex Ariſtot. colligitur 4. phyſ. 24. vbi aſſerit quantitates non eſſe de virtutibus actiuis, & ſic cum quantitas non ſit actiua, ſpeciem ſe repræſentantem producere non poteſt.

Quartò quod ex inſenſibilibus componitur ſenſibile non eſt per ſe. quare numerus per ſe ſenſibilis non erit, cum ex inſenſibilibus compoſitionem habeat.

Et denique numerare ſolius mentis eſt, vt notat Ariſtot. in phyſ. vbi de tempore agit, & Alexandreus etiam recenſet. Igitur numerus commune ſenſibile non eſt, aut ſi for-

pluribus, etiam si aliqua non cognoscantur omnibus.

DISPVTATIO XVIII.

DVorum autem aliud quidem proprium est vniuscuiusque sensus, aliud autem commune omnium, dixit superius Aristot. si meministis; nimirum sensibilia per se sunt duplicis generis, quædam communia, & quædam propria. verum dubitabit aliquis, vtrum sensibile commune, sit sensibile per se? nam illud quod accidentaliter sensibili proprio coniunctum est, non potest esse per se sensibile; at communia sensibilia sensibili proprio maximè accidentaliter coniuncta sunt. ergò sensibilia communia sensibilia per se non sunt, sed solum per accidens.

Et quod sensibilia communia sensibili proprio solum per accidens coniuncta sint, ex eo colligitur, quoniam colori & sensibili proprio visus non nisi per accidens quantitas coniungitur, & ideò dum color perspicitur per accidens etiam quantitas videtur, per accidens inquam quia visus seu potentia visiua prima intentione colorem respicit, postea verò, quantitatem, neque etiam quantitas absque

abſque colore conſpici valet.

Secundo entia mathematica per ſe ſenſibilia non ſunt, quia entia mathematica abſtrahunt à ſenſibilibus per Ariſtot. 2. phyſ. contex. 8. et. 7. meth. 35. 39. Senſibilia autem nonnulla communia, vtputa numerus, & quantitas entia quippè mathematica ſunt: quarè numerus & quantitas non ſunt per ſe ſenſibilia.

Tertiò ſenſibile quodcumque per ſe ſpeciem ſe repreſentantẽ generare debet, quod tamen quantitas agere minimè valet: ergò quantitas commune ſenſibile per ſe non eſt, ſed per accidẽs. & quod minime valeat quantitas ſpeciem ſe repreſentantem producere, ex Ariſtot. colligitur 4. phyſ. 24. vbi aſſerit quantitates non eſſe de virtutibus actiuis, & ſic cum quantitas non ſit actiua, ſpeciem ſe ſe repræſentantem producere non poteſt.

Quartò quod ex inſenſibilibus componitur ſenſibile non eſt per ſe. quare numerus per ſe ſenſibilis non erit, cum ex inſenſibilibus compoſitionem habeat.

Et denique numerare ſolius mentis eſt, vt notat Ariſtot. in phyſ. vbi de tempore agit, & Alexandreus etiam recenſet. Igitur numerus commune ſenſibile non eſt, aut ſi for-

pluribus, etiam si aliqua non cognoscantur omnibus.

DISPVTATIO XVIII.

DVorum autem aliud quidem proprium est vniuscuiusque sensus, aliud autem commune omnium, dixit superius Aristot. si meministis; nimirum sensibilia per se sunt duplicis generis, quædam communia, & quædam propria. verum dubitabit aliquis, vtrum sensibile commune, sit sensibile per se? nam illud quod accidentaliter sensibili proprio coniunctum est, non potest esse per se sensibile; at communia sensibilia sensibili proprio maximè accidentaliter coniuncta sunt. ergò sensibilia communia sensibilia per se non sunt, sed solum per accidens.

Et quod sensibilia communia sensibili proprio solum per accidens coniuncta sint, ex eo colligitur, quoniam colori & sensibili proprio visus non nisi per accidens quantitas coniungitur, & ideò dum color perspicitur per accidens etiam quantitas videtur, per accidens inquam quia visus seu potentia visiua prima intentione colorem respicit, postea verò, quantitatem, neque etiam quantitas

absque

absque colore conspici valet.

Secundo entia mathematica per se sensibilia non sunt, quia entia mathematica abstrahunt à sensibilibus per Aristot. 2. phys. contex. 8. et. 7. meth. 35. 39. Sensibilia autem nonnulla communia, vtputa numerus, & quantitas entia quippè mathematica sunt: quarè numerus & quantitas non sunt per se sensibilia.

Tertiò sensibile quodcumque per se speciem se representantē generare debet, quod tamen quantitas agere minimè valet: ergò quantitas commune sensibile per se non est, sed per accidēs. & quod minime valeat quantitas speciem se representantem producere, ex Aristot. colligitur 4. phys. 24. vbi asserit quantitates non esse de virtutibus actiuis, & sic cum quantitas non sit actiua, speciem se repræsentantem producere non potest.

Quartò quod ex insensibilibus componitur sensibile non est per se. quare numerus per se sensibilis non erit, cum ex insensibilibus compositionem habeat.

Et denique numerare solius mentis est, vt notat Aristot. in phys. vbi de tempore agit, & Alexandreus etiam recenset. Igitur numerus commune sensibile non est, aut si for-

talsè sit per accidens id habet, non per se.

Quidquid tamen de his sit, sentire quoddam pati est ex Philosopho in superioribus, vnde quod in sensu passionem efficit, vtique sensibile per se est, & talia sunt sensibilia communia, quia ex eodem Arist. contex. 63. 2. de anima, sensibilia per accidens nullam cõcitant in sensibus passionem. Duplici enim ratione mutatio, vel passio accidere potest, nempè primo quantum ad speciem agentẽ, species enim coloris albi exempli gratia, in sensu visus recepta, in eadem potentia visiua, quatenus species est passionem facit. Alio verò modo accidit passio in potentia visiua non quantum ad speciem agentis, sed quantum ad modum actionis, nempè species sensibiles mouent sensus, vt tales sunt specificè, & vt quantæ, vel vt plures quoad numerum. & sic numerus etiam & quantitas cum ad passionem potentiæ sensitiuæ concurrant per se etiam sensibilia sint, non verò per accidens.

Ad argumenta igitur in contrarium adducta, & primo ad primũ respõdetur. Sensibilia communia interdũ sensibili proprio non per accidens, sed necessariò coniuncta esse; vnde sensibilia per se vtique etiam sunt: cum per se

in

in sensibus species imprimant.

Secundò, entia mathematica non sunt per se sensibilia, verum id est de sensibilibus proprijs & primarijs, non autem de cōmunibus & secundarijs. cum autem Arist. entia mathematica à sensibilibus abstrahere asseruit, de sensibilibus proprijs intellexit, non de communibus.

Præterea ad tertium respondetur, quantitatem non esse de virtutibus actiuis actione contrarij, at suam pariter & aliquo modo habere actiuitatem, sicut etiam qualitates passiuæ in ordine ad generationem suarum specierum actiuæ dicuntur: vel possumus dicere quantitatem esse de virtutibus actiuis actione spirituali agentibus. & sic quantitas sensibile per se etiam erit.

Quartò, tametsi numerus sensim, atque ab alio diuisibili separatus sensibilis non sit; in alio tamen existens maximè sensibilis est. vnde sensibilia communia sensibilia per se etiam erunt.

Denique numerare solius mentis est. Respondetur cum Alexandro ex Aristot. solam mentem vim habere percipiendi formam numeri, vt numerus est: at sensus licet formā numeri minimè cognoscat, apprehendit tamen

men numerum vt maiorem vel minorem; & hac ratione accipiendo numerum, non est solius mentis numerare, sed etiam sensus; vndè numerus per se sensibilis est.

DISPVTATIO XIX.

Aristoteles superius, si meministis, diuisit sensibile in sensibile per accidens, & in sensibile per se: & rursus sensibile per se subdiuisit in sensibile commune, & in sensibile proprium. declarauit quodnam esset sensibile commune, quodque proprium; in præsenti descendit ad tractationem de vnoquoque sensibili proprio secundum vnumquemque sensum; & à sensibili sensus visus incipiendo (cuius est visus hoc est visibile inquit) visibile autem est color; ergò color est obiectum visus Aristotelis sensus est. sed quoniam cuiusque color in lumine est visibilis ex eodem contex. 67. propterea de lumine primum dicendum quid est. Dicendum est etiam aliquid de perspicuo, quoniam color est motiuus perspicui: & perspicuum vt docet idem contex. 68. est illud quod visibile est, non secundum se, sed propter externum colorem, cuiusmodi aer est, aqua, & multa solidorum.

Lumen

Lumen verò, subdit deindè, est actus perspicui secundum quod est perspicuum, & est veluti color perspicui, siuè sit ab igne, siuè ab aliquo alio cuiusmodi corpora cælestia sunt, etenim esse lucens actu & illuminatum commune est igni, & corpori cælesti. Quamquam verò lumen ex igne esse valeat, nihilominus lumen non est ignis, siuè corpus, vt Democriti erat opinio; siquidem duo corpora simul & in eodem existere non possunt, & daretur penetratio corporum, si lumen esset corpus tandem cõcludit Arist. in fine tex. 69. his verbis, Quid igitur perspicuum, & quid lumen dictum est, quod neque ignis est, neque defluxus corporis vllius (esset enim vtique aliquod corpus & sic) sed ignis, aut huiusmodi alicuius præsentia in perspicuo, neque enim possibile est duo corpora in eodem simul esse.

Super hæc autem Arist. verba, lumen non est corpus, occurrunt aliquæ dubitationes. & primò illud quod habet corporis proprietates corpus est. at lumen proprietates corporis habet. quarè lumen corpus vtique est. Quod autem lumen corporis proprietates habeat, colligitur ex eo, quia lumen refrangitur, atque reflectitur, quæ corporis proprie-

tates

tates sunt cum Arist.4.meteor. contex.44.

Ex eodem pariter Arist. 6. phys. 52. quod localiter mouetur corpus est. lumen localiter mouetur. quarè lumen corpus maximè est. Lumen autem localiter moueri apertissimè colligitur ex lumine Solis, quod sane à corpore Solis ad nos quotidie proficiscitur.

Præterea quod habet tres dimensiones cũ Arist.1. cœli 2.& 5.metaphys.contex. 18.corpus est. lumen habet tres dimensiones. ergò lumen maximè corpus erit.

Quod autem lumen tribus constet mathematicis dimensionibus, colligitur ex eo, quia lumen constat longitudine, latitudine, atque profunditate, quæ sanè dimensiones corpori maximè conueniunt.

Postremò corpus est quidquid etiam corpus generat. at lumen quorumcumque corporum generationis causa est ex Aristot. in phys. quare lumen corpus est, vt à principio contra Arist. contendebatur. Et nihilominus Aristot. in contex. lumen corpus non est, inquit, nam corporum daretur pentratio, neque etiam subitò moueretur, vt in lumine solis apparet, quod illicò per vniuersum nostrum orbem conspicitur statim atque exoritur.

Non

Non obstant autem, quæ in contrarium afferebantur, & quatenus ad primum argumentum. Quod habet proprietates corporis est corpus, vtique verissimum esse respondetur, si vniuocè, atque propriè habeat. lumen autem non propriè, sed solum similitudinariè reflecti, vel refrangi dicitur: non etenim idem lumen reflectitur, cum reflecti dicitur, at nouum lumen ex lumine impedito generatur.

Secundò, tametsi lumen ex corpore solis in hæc inferiora ad nos accedat, nihilominus corpus appellari nõ potest, cum nequaquam localiter moueatur: idem enim numero lumen, quod in sole reperitur ad nos minimè accedit, sed lumen in sole existens generat aliud lumen in medio, illud subinde medij generat aliud, & sic intentionaliter siue per specierum multiplicationẽ mouetur lumen, non autem quia verè de loco ad locum idem lumen progrediatur.

Lumen probatur esse corpus præterea ex eo, quia tres habeat dimensiones corporis proprias, latitudinem nimirum, lõgitudinem, profunditatem. Has tamen dimensiones per se lumen habere negatur; nam in tantum lumen mensurari valet, in quantum inest in

cor-

corpore aliquo lucido,& prout corpus materiale illuminat.

Postremo loco, lumen esse corpus arguebatur ex eo, quia alia corpora generat, atque principaliter quod generat corpus vtique corpus appellari valet. Sed respondetur quod lumen nequaquam principaliter generationis corporum causa est, sed secundaria, vel instrumentalis, cum vt instrumentum, vel solis virtus ad corporis generationem concurrat. & sic lumen non est corpus, vt ex Arist. in contex. affirmabatur.

Posito autem quod lumen non sit corpus, vlterius est explicandum, vtrum sit quid reale, an aliquid intentionale. Atque pro maiori declaratione quæstionis, sciendum est, intentionem nihil aliud esse, nisi imaginem repræsentatiuam alicuius rei. Secundò lumen, & lucem inter se multum differre; nam lux significat illam quasi albedinem quæ in sole, verbi gratia, apparet; lumen autem est quid à luce dependens. His verò præmissis breuiter cum Scoto & Zabar. lib. 1. de visu cap. 6. Dicimus lumen habere in medio esse reale atque intentionale. Et quod habeat esse intentionale, clarissimum est ex eo, quia imago lucis est, vel alterius. quod etiam habeat

esse

esse reale, constat, quia lumen est aliquid, & reale aliquid generat, vt D. Thomas loquitur: nempè lumen calefacit, sensorium destruit, si sit magnũ, & alia similia realiter agit.

Neque obstat, quod lumen quid spirituale etiam dicatur, ideòque reale quid esse non valeat: nam lumen non est quid reale, hoc est materiale, & corporeum tangibile, sed realiter existit, & realem pariter entitatem habet; & sicuti dantur substantiæ incorporeæ, quæ spirituales sunt, & tamen verissimæ substantiæ sunt, & verissima entia realia; ita etiam de lumine affirmari debet, quod licet spirituale quid sit, ens reale nihilominus est, cum sit qualitas quædam spiritualis realiter existens. Et præterea cum Ioanne Bacconio in propria quæst. lumen possumus dicere, quod respectu obiecti materialis, quod repræsentat & cuius dicitur species intentionale esse habet, respectu verò subiecti, in quo inhæret habet esse reale. Vel denique secundum aliquos, & fortassè meliùs, quod partim realis, partim verò intentionalis est essentia ipsius luminis respondetur, vt superiùs in 4. metheor. etiam diximus.

Quæ autẽ de lumine diximus valent etiam de speciebus intentionalibus colorum, nam

clarif-

clarissimum est, quod intentionale & reale esse habeant, intentionale quidem in quantum imaginem repræsentent, reale verò quoniam coloris species repræsentatiuæ aliquid sunt, & quid reale pariter repræsentant.

DISPVTATIO XX.

IN calce superioris disputationis examinauimus coloris essentiam, an scilicet reale quid, aut intentionale, vel vtrumque color ipse sit, nunc alia quæstio discutienda proponitur circa eundem colorem: nempè quia Arist. superiùs dixit, cuius est visus, illud esse visibile; sed dubitabit forsitan aliquis, vtrum color verè sit visus obiectum? Nimirum quia color est qualitas secunda consequens mixtionem lucidi cum opaco, & diaphano, vt docet Arist. in lib. de sensu & sensilibus; certum tamen est, quod aliquid videtur & est obiectum visus absque eo quod sit opacum, atque mixtionem diaphani cum opaco habeat (nam cælum cõspicitur, exempli gratia, quod tamen est corpus simplex, non mixtum, vt ex Arist. constat primo cæli contex. 22.)

Magnitudo etiam, motus, figura, quies, & alia

& alia huiusmodi conspiciuntur, & tamen colores non sunt, neque sub genere coloris continentur.

Et postremo, si color esset obiectum visus potentiam visiuam maximè moueret, & per consequens eadem visiua potentia esset nobilior, cum mouens sit nobilius moto, veluti agens patiente: colorem autem potentia visiua nobiliorem dicere est maximè absurdum.

De his autem rationibus in contrarium adductis quidquid sit communis est sententia, primum potissimumque visus obiectum colorem esse, & ipsa experientia clarissimè patet, absque colore, vel non coloratum obiectum minimè conspici, quicquid enim perspicitur, omne est coloratum, neque non coloratũ obiectum vllus vnquam conspexit.

Ad illud verò, quod primò in contrarium afferebatur, sic in primis respondeo, colorem duplici modo dici, & generari posse, nam oritur color interdum ex mixtione lucidi, vel diaphani cum opaco, vtputa ex mixtione terræ cum igne, aut aere, vel aqua, nempè cum terra corpus opacum miscetur, cum igne diaphano, diaphanum corpus ignis condensatur, amittit esse perspicuum, & statim

tim succedit color, qui propterea terminus etiam perspicui dicitur. Interdum verò color, vt inquit Zabarel. oriri potest ex sola perspicui condensatione absque vlla alia mixtione, vt in corporibus cælestibus apparet, in quibus neque terra, neque aqua, neque ignis, aut aliud simile reperitur siue opacum, siue lucidum materiale, ac tamen colorata sunt, ex vnica videlicet perspicui condensatione; quomodocumque autem color accipiatur, siue de quocumque colore intelligatur, color obiectum visus est; deinde respondeo cum Ianduno, color propriè dictus est qualitas resultans ex mixtione opaci cum perspicuo, & sic concedo, quod solus color propriè dictus, non est obiectum visus, sed color quatenus communiter dicitur, & quatenus sub eodem nomine coloris comprehenditur etiam color corporum simplicium, vt sunt elementa & corpora cœlestia, hoc inquam modo acceptus color, id est genericè, & communiter est obiectum visus.

Ad secundum respondetur, quod color est obiectum visus, vt visus est; sensibilia verò communia non sunt obiecta visus vt visus est, sed visus vt sensus est.

Præterea, esto colorem quatenus est obie-

ctum,

ctum, & quatenus est mouens, esse potentia visiua nobiliorem, quatenus est mota, & quatenus patitur. attamen secundum reliqua considerata potentia visiua colore & obiecto visibili semper nobilior est, cum potentia sit quid immateriale, atque spirituale, obiectum verò materiale.

Vlteriùs proponitur quæstio de modo visionis, vtrum scilicet visio per extramissionem fiat, an verò solum per intus susceptionem? idest, vtrum ad visionem perficiendam ex oculis ad obiectum visibile aliquid emanet; an verò aliquid ijdem oculi ex obiecto intus recipiant? Nam Platonis opinio erat in Thimeo emitti ex oculo radios quosdam lucis, qui cum radijs externi luminis concurrentes atque permixti ad obiectum visibile pertingunt; illudque suo contactu visibile reddunt, nempè eo radiorum concursu, atque contactu, quasi per naturalem qnandam sympathiam, motus in oculo fit, & spiritus excitantur, & deinde actus iudicij circa obiectum visibile consequitur, qui actus est ipsa visio.

Sed huic Platonis opinioni Arist. contrariatur 2.de anima contex.74.121. & alibi, vt in superioribus etiam audiuistis; nam si visio

per extramissionem fieret, sequeretur quod minimè in instanti, at in tempore exerceretur, quod tamen falsum est. quarè per intus susceptionem specierum intentionalium visio fit, non autem per extramissionem, vt Plato asserebat.

Verum dicet aliquis Arist. pluribus in locis contrarium docuisse, nempè 31. problem. 15. 16. 3. meteor. sum. 2. cap. 3. & alibi. Quinimò 3. meteor. dicto idem Arist. exemplum quoddam affert alicuius (quem tamen Alex. & alij Antisontem fuisse aiunt) qui deambulando tanquam in speculo sui imaginem, aut formam in aere antecedente conspiciebat, idque Arist. dixit ex visus imbecillitate ortum fuisse, quia Antisontis oculi adeò imbecilles radios emittebant, vt ne ipsum quidẽ aerem peruadere valerent, sicque ad oculos reflexi in causa erant vt Antison suam imaginem videret. Vndè visio per extra missionem fieri videtur, non autem per intus receptionem, cuius sententiæ Alex. quoque fuit lib. 1. problem. 75.

Respondetur tamen vtique Arist. visionem per extra missionem fieri interdum asseruisse, non tamen quia hæc propria ipsius sententia esset: sed quia consuetus fuit Aristot. vbi

locus

locus non esset de aliqua re exprofesso agendi, de illa loqui secundum famosas, atque vulgares opiniones illius temporis,& sic fecit in hoc casu de visione,quando in metheorol. & problemat. visionem per extra missionem fieri asseruit: nam aliàs in 2. de anima. & vbi propriè de visione agendi locus erat, iuxta veritatem loquendo contrarium docuit.

Atque ita corruit etiam Antifontis exemplum: nam si forma Antiphontis in medio repreſentabatur ea ratione, qua superiùs fuit indicatum in argumento, cur eadem forma non conspiciebatur etiam ab alijs cum Antiphonte saltem ambulantibus? Siquidem reflexio radiorum in medio tanquam in speculo peracta, etiã ad aliorũ oculos fieri poterat.

Et circa hunc casum Antiphontis potest addi ex Gal.3. de locis aff.cap.6. quod Antiphon dictus melancholia laborabat; vnde vt refert Arist.lib.de memor.& reminiscen.Antiphon quæcumque phantasia concipiebat narrabat vt vera & non aliter, quam si ipsi verè & realiter contigissent; effectus sanè melancholiæ, vel delirij melancholici proprijssimus, vt simile in alijs quoque accidisse medici pragmatici referunt, nam quidam euasisse Regem imaginabatur, alter verò lu-

pum, alter gallum, aut testam, vt Gal. lib. di-cto de loc. aff. refert; alij verò alio modo circa phantasmata allucinati sunt, sicut & Antiphonti accidit. Quare visio per intus susceptionem fit, non autem per extramissionem, vt Platonis sententia erat.

DISPVTATIO XXI.

VIsionem fieri non per extramissionem radiorum visibilium, vt Platonis sententia erat, verum per intus susceptionem specierum intentionalium ex obiectis visibilibus transmissarum cum Arist. in superiore disputatione conclusimus. Ad quam insuper specierum intentionalium susceptionem rectè ritèque peragendam scire licet primò, omnia illa requiri quæ ad sensationem necessaria sunt. vt puta quod obiectum in debita distantia positum sit, quod medium nullo modo indebitè alteratum reperiatur, & quod organum visionis secundum naturam benè se habeat. nam visionis organum, quod est oculus, ad hoc vt visio naturaliter exerceatur, ijsdem speciebus intentionalibus aditum præbeat necesse est, easque recipiat, & illustret. Accidit autem specierum illustratio ex lumi-

lumine, quia vt superiùs audiuistis absque lumine visio fieri minimè potest, absque lumine inquam tam externo quam interno, quia obiecta sensibilia si etiam externè non sint illustrata à lumine aliquo externo non possunt videri. & idem est de lumine interno vel intra oculum, quod similiter requiritur pro visione. Externè illuminantur obiecta & media, per quæ transeunt species intentionales visibiles à sole, vel ex aliqua ignea materia, vel alio corpore lucido: internè verò, siuè intra oculum ex humore crystallino, qui ad hunc finem à natura est præditus aliquo lumine; & quod humor crystallinus sit ex se lucidus, prӕterquãquod per se luce clarius apparet, nihilominus id ampliùs colligitur ex eo quia tametsi oculi claudãtur, adhuc intra oculum lumen percipitur, vt pariter eodem oculo compresso idem accidit. & fortaſsè huius luminis interni causa, Pithagoras oculum igneum esse affirmabat. Gal. etiam 10. de vsu part. & 7. de placit. igneum oculum appellauit. Plato in Thimeo, & 6. de Repub. oculus ignis particeps inquit, est, & non quidem ignis carbonis, vel alterius similis rei, sed illius ignis qui diem mundo inuehit, hoc est luminis. Igneus inquam à Docto-

ribus appellatur oculus, quia intra se lumen habet. vnde etiam Aristot. lib. de sensu, & sens. Aspectus, inquit, æquè intus & extra lumen exposcit vt videat. Lumen itaque & internum, siue intra oculum ad visionem peragendam necessarium est; lumen autem in debita proportione & mensura constitutum, non autem insigne vel excessiuum, sicuti etiam medium & ipsi oculi benè constituti in suo statu naturali requiruntur: partes verò quæ oculos constituunt tres sunt, humores, spiritus, atque tunicæ; humores & præcipuè crystallinus concurrunt ad visionem, quia ex hoc species illuminantur: sicuti etiam spiritus animales in eodem oculo existentes ad visionem faciunt, species obiectorum recipiendo, atque huc illucque deinde ferendo: præterea & membranæ ad idem faciunt, quatenus ad ingressum & terminationem earumdem specierum concurrunt. Humores igitur, spiritus, atque tunicæ oculorum sunt instrumenta visioni inseruientia, humores autẽ & præcipuè crystallinus: nam & sicuti cæteri etiam humores ad visionem concurrunt, diuersa tamen ratione concurrunt, cum species ex solo humore crystallino immediatè illustrentur, cæteri verò humores

mores pabulum cryſtallini potiùs ſint, atque vt materia, quæ in humorem cryſtallinum deinde conuertitur, ad viſionem efficiendam requiruntur. Et quod ſolus humor cryſtallinus ſpecies illuſtrando ad viſionem concurrat, colligitur ex eò quia alijs humoribus ex oculo fluentibus, remanente tamen cryſtallino viſio adhuc celebratur, vt experientia habuimus, atque medici teſtantur. eſt autem cryſtallinus humor denſus natura ſua, atque inter cæteros humores craſſior, quia ſicuti ſydera partes cæli denſiores lumen efficiunt, ita etiam intra oculum cryſtallinus humor inter cæteros denſior, luminis cauſa immediata eſt.

Verum circa hanc propoſitionem, quod humor cryſtallinus craſſioris, vel denſioris ſubſtãtiæ ſit, poterit dubitare aliquis ex Gal. qui 4. de locis aff. cap. 2. circa medium, 1. de ſymph. cauſ. 6. 7. de placit. 5. tangendi ſenſorium dixit craſſiſſimum eſſe, vt cernendi tenuiſſimum, auditus verò ſenſorium quoad tenuitatem, obtinere ſecundum locum à viſu, & ſenſorium guſtus quoad craſſitudinem obtinere ſecundum locum à tactu, & ſenſorium olfaciendi eſſe quaſi in medio aliorum quatuor, & ratio eſt quia ſenſorium auditus

eſt

est aer intra aurem congenitus, qui tamen tenuior est humore crystallino. quarè visus sensorium non est tenuissimum, vt Gal. docebat.

Respondetur nequaquam crystallinum humorem esse organum visus, sed spiritus; animales etenim spiritus per neruos opticos ad oculos transmissi organum visus sunt, sicut in superiorlbus aliàs audiuistis: nam spiritus ijdem quatenus recipiunt species obiectorum sensibilium ad visionem cõcurrunt: spiritus verò ipso aere intra aures stabulante tenuiores sunt, vt ex Gal. audiuistis: neque enim aer auditum faciens, & intra aures existens ita tenuis est, vt aer externus, & si esset ita tenuis, non tamen spiritibus visiuis esset tenuior, cum spiritus visiui, aut visioni inseruientes sint spiritus animales & subtilissimi, vtpotè ex purissima portione spirituum, qui in arterijs sunt proficiscentes. Quare optimè Gal. organum visionis dixit esse tenuissimum, & organum auditus in tenuitate secundum locum obtinere ab organo visus.

DISPVTATIO XXII.

TRia requiri ad naturalem visionem perficiendam diximus in superiori dispu-tatione, nempè vt species transitum habeant intra oculos, vt intra illos recipiantur, & postremò, vt illustrentur. Transitum verò habent intra oculos membranis mediantibus, recipiuntur ex spiritibus, illustrantur ex humore crystallino. Quarè vt visio naturaliter fiat ex parre oculi requiritur, vt partes iam dictæ in statu proprio naturali reperiantur; nam secundum quod magis, vel minus à naturali statu declinabunt, etiam visio magis vel minus deprauabitur.

Atque ex humore crystallino initium facientes, triplici genere morbi idem humor affici potest, intemperie, vnitatis solutione, & mala compositione. Accidit autem primò visioni læsio ex mala compositione humoris crystallini, cum scilicet idem humor, vel augetur, vel diminuitur; nam si diminuatur affectus ille oritur, quem latini pthisim, siue tabem appellant: vt cum totus oculus diminuitur atrophia oculi dicitur. Diminuitur verò crystallinus humor ex diminutione præ-

cipuè

cipuè albuginei, vel vitrei humoris, nam crystallinus humor nutritur, vel restauratur prædictis humoribus vitreo, atque albugineo: cumque crystallinus humor imminuitur, atque pthisis subinde sequitur, imminuitur & visio pariter ad imminutionem scilicet luminis, quod ex humore crystallino participatur, vt iam diximus.

Secunda læsio visionis ex mala cōpositione humoris crystallini est, cū idem scililicet humor extra propriam sedē dimouetur, atque hanc affectionem Gal. translationem appellat, quæ quidem translatio crystallini humoris, si versus angulum maiorem fiat, vel minorem nihil incommodi accidit, sed solum obliquitas aspectus siue strabositas cum Auic. At si sursum, vel deorsum fiat tunc visio maximè læditur, & ea omnia quæ conspiciuntur, vel ante oculos proponuntur duplicia apparent.

Prætereà vt dicebamus, læditur visio ex mala intemperie crystallini humoris, cum scilicet idē humor crystallinus in glaucum, aut fuscum colorem permutatur, vel eiusdem substantia nimis crassa euadit: tunc enim cum proprio lumine crystallinus humor destituatur, fit vt per nebulam vel fumum se vide-

videre ægrotantes arbitrentur, atque hic affectus glaucom vel glaucedo appellatur à medicis. Accidit autem glaucedo, inquit Gal.3. aphor. com. vlt. propter immodicam instrumentorum siccitatem, & quia speciem habent suffusionis: mixtione videlicet humoris alicuius crassi ac terrei detrahitur lumen humori crystallino,& glaucedo efficitur. Prout enim humor crystallinus, & alij humores oculorum bile, melancholia,pituita, vel sanguine abundant semper visio læditur, vt experientia conspicitur in ictericis, quibus omnia flaua representantur propter bilem multam in humore albugineo existentẽ. Percipitur autem ex qno humore læsio fiat à caloribus dictorum oculorũ; nam aliquibus oculi nigri euadunt, alijs cœrulei, alijs flaui, alijs albi: nigri indicant humores crassos ac terreos,flaui subtiles bilosos,albi aquosos, & sic de cœteris. atque hæc quoad vitia respectu humoris crystallini visioni aduenientia.

Læditur visio prætereà vitio spirituum, quia aut deficiunt, aut impuri atque turbidi euadunt, aut denique crassiores redduntur. Deficiunt nempè spiritus visiui pluribus de causis, præcipuè verò ex inflammatione neruorum opticorum,vel propter duritiem,vel obstru-

obstructionem aliquam eorumdem, ita Gal. docet 4. de locis aff. cap. 2. & 1. de sympth. caus. cap. 1. Cùm autem prædictis de caufis ex toto spiritus ijdem deficiunt in oculis, ex toto pariter cœcitas accidit, siuè visionis priuatio, quam recẽtiores medici guttam serenam appellant, hoc est cum nullo in oculis morbo apparente, videndi sensus omnino deperditus est, vt Gal. loco dicto affirmat. Si verò spiritibus visiuis per neruos opticos non ex toto transitus occludatur, tunc visio nec etiam ex toto prohibetur, sed prout magis, vel minus ijdem spiritus ad oculos fluunt, maius etiam vel minus impedimentum visioni accidit. Quibus etenim paucus, exempli gratia, ad oculos spiritus accedit, sed tamẽ hic purus est, non autem nubilosus, hi quidem de longè non vident, sed solum de propè, clarè tamen obiecta conspiciunt, nam visus in ijs est exactissimus, in quibus multus adest visiuus spiritus, atque subtilis, vel tenuis: & ideò quando paucus hic adest, in distans visio fieri non valet, sed solum propè. & eandem ob causam maiora obiecta simul & statim videri & cognosci ab ijs, qui paucos habent spiritus non valent, sed qui hoc modo se habent, atque maiora obiecta benè distin-

ſtinguere cupiunt ſucceſſiuè, & paulatim illa reſpiciunt, necnon per partem poſt partem vt dici ſolet, & hic affectus myopia, ſiuè luſcioſitas appellatur à medicis.

Tertio, impeditur viſio propter impuritatem, atque craſſitiem eorundem ſpirituum animalium, cum ſcilicet humor aliquis melancholicus, pituitoſus, vel craſſus, aut ſimilis vapor cum ijſdem miſcetur, vnde Hippoc. 6. aphor. 56. In melancholicis affectibus ad hæc periculoſi decubitus apoplexiam corporis, furorem, cœcitatem. Cœcitas enim efficitur ſi multus humor atrabiliarius abundet, in vero paucus ſit, & non copioſus nictalopia ſubſequi ſolet, quæ à Latinis nocturna cœcitas appellatur.

Denique vitium accidit viſioni etiam ex defectu membranarum, ſunt autem membranæ in oculis propriè numero quatuor, tametſi à nonnullis ſeptem numerentur, nam cornea tunica in parte poſteriore ſclirotica appellatur, vuea in eadem parte poſteriore dicitur ſecundina, aranea dicitur retina: & alia membrana eſt coniunctiua, quæ in parte qualibet eodem nomine appellatur: atque ita propriè quatuor membranæ oculorum ſunt, quamquam pluribus nominibus ſecun-

dum

dum partium diuerſitatem appellentur. Hæ igitur quatuor membranæ ſecundum quod diuerſo modo afficiuntur, diuerſis pariter modis viſionem impediunt. Atque vt ab vuea membrana exordiamur, læditur viſio ratione vueæ, ſiue rhagoidis membranæ, quando illa nimis dilatatur, vel nimium conſtringitur, aut rumpitur, vel in partem aliquam detorquetur, ita Gal. 1. de cauſ. ſympth. cap. 2. cum enim nimis dilatatur vueæ foramen pupille quoque à Medicis appellatur, affectus ille oritur, qui à Medicis midriaſis dicitur, in quo caſu obiecta viſibilia minora quam ſint apparent, atque viſio imminuitur: nam foramen dictum amplius factum non adeò adæquatè, vt antea ſpiritu impleri valet, ideòque obiecta minora apparent, atque difficilè conſpiciuntur Aetio, & Paulo teſtibus in cap. proprio: atque hæc inſuper pupillæ dilatatio perpetuò morboſa eſt, inquit Gal. 1. dicto de cauſ. ſympth. cap. 2. ſiuè naturalis ſit, ſiuè præternaturalis, quod de imminutione affirmari non poteſt, ſed ſi pupilla naturaliter conſtricta ſit, vel angusta acutæ viſionis cauſa eſt, cum ſpiritus animales viſioni inſeruientes magis vniti, & per cōſequens vegetiores reperiantur, & ideo etiam

ſpecies

species visibiles magis vnitæ intra oculos recipiantur. Si autem angustia hæc præter naturalis sit, visionem maximè impedit vel lædit, vt inferiùs melius constabit.

Dilatatur verò pupilla siuè foramen tunicę rhagoidis pluribus de causis, iisq. etiã contrariis, cum aliquãdo siccitatis ratione, & aliquãdo humiditatis hic affectus oriatur: siccitatis inquam, vt in pelle accidit perforata, quæ si magis exiccetur foramen quoque magis aperitur, vt docet Auic. lib. 3. fen. 3. tract. 4. c. 12. humiditatis verò causa eadem pupilla dilatatur, quando excrementitio humore membrana eadem referta in se ipsam extenditur, & pupillæ foramen maius euadit: & hac ratione pupillæ dilatatio, vt plurimum accidit, cum multò facilius sit rhagoidem magis humectari quam exiccari, & si mydriasis affectio dicta ex humiditate oriatur, licet difficilè sit curabilis, curabilis tamen est, & è contra si oriatur ratione siccitatis difficilioris, siuè potius impossibilis est curationis.

Læsio altera visionis, vt dicebamus est ex vuea quando scilicet illa constringitur, vel imminuitur, atque hanc læsionem tabem pũpillæ medici appellarunt, eiusque causæ similiter variæ sunt: nam prima eiusdem vueæ

laxitas est, siuè relaxatio ex abundanti humiditate, ex qua illius partes in sese quodammodo concidunt, & sic pupillæ constrictionem efficiunt. Quod idem pariter euenit propter defectum albuginei humoris, cuius causa vuea in se concidens contrahitur atque rugatur. Vel denique idem accidit ex interclusione foraminis, quæ ex materia aliqua purulenta subsequi valet, cum scilicet post abscessum rhagoidis vel corneæ ruptio fit, atque pus in regione pupillæ colligitur. Aut etiam ex materia aliqua non purulenta obstructio pupillæ accidit, vt in suffusionis generatione contingit.

Denique ex Gal. 1. de caus. sympth. 2. Vuea siuè pupilla vitiatur ruptura, vel distorsione, aut diuulsione, vt rectiùs loquar, quæ duæ affectiones præter naturam ab ijsdem propositis causis, vel externis alijs proficisci solent.

Membrana altera quæ visioni inseruit est cornea, cuius pars anterior, & quæ pupillæ præest, vel crassior vel densior, vel humidior fit, atque varijs coloribus inficitur, vel etiam patitur solutionem continui. Crassior, inquam, euadit membrana dicta quandocumque siccatur, rugosaque redditur, quod sanè fieri valet, vel ob nimiam siccitatem, vt in senectu-

nectute vltima accidit; vel ob inopiam albuginei eandem corneam humectantis; Densior quoque euadit membrana cornea propter aliquem durum tumorem, vt puta abscessum, vel inflammationem, & præsertim propter albuginem propriè dictam, videlicet ob cicatricem, quæ ex vulnere aliquo glutinato relinquitur.

Prætereà pars corneæ anterior nonnunquam humidior fit, & visio impeditur; dum ex eadem humiditate oritur affectio illa, quæ visus habetudo nuncupatur, per quam velut per caliginem, vel nebulam, aut fumum se videre arbitrantur, quibus anterior corneæ pars humidior fit.

Vlteriùs afficitur cornea varijs coloribus, ac varios colores autumant se videre, quibus in parte anteriori tunicæ corneæ stabulantur humores, non in quantitate, sed in qualitate plurimi.

Et insuper patitur cornea alias affectiones ratione sanguinis, cum scilicet multò sanguine est obsessa, & similiter ratione illius obiecta visibilia apparent sanguinea; atque hic affectus à medicis sugillatio dicitur.

Postremò malè afficitur cornea ex solutione continui, & talis affectio à medicis Rhexis

appellatur, id eſt ruptura, ſectio, vel exeſio, ex qua dum intus penetrat albugineus humor emanat, atque interim vua procidit, acciditque ſubinde oculi procidentia, alter affectus præternaturam, quæ proptoſis græcè dicitur, à qua diuerſa eſt oculi confuſio, in qua ex ictu oculi humores permixti ſunt citra vllam eruptionem,& hæc ſunt præcipua oculorum vitia, quæ ſeù non videndi, ſeù malè videndi cauſæ ſunt.

DISPVTATIO XXIII.

QVæ in ſuperioribus de viſione dicta ſunt, & de vitijs viſionis, vt meliùs intelligantur oculorum temperamenta in præſenti diſputatione ſunt explicanda; & certum eſt quod ex multis poſſunt cognoſci,vt medici docent: nempè ex colore,tactu, motu,ex venis, figura,ſiuè forma, ex quantitate,ex operationibus, ex eo quod exit, ſiuè excrementis,ex diſpoſitione ad paſſiones. ex colore enim temperamentum cognoſcitur, quia colores humorem prædominantem ſignificant, veluti rubeus ſanguinem, flauus bilem,albus pituitam, fuſcus atram bilem: huiuſcemodi autem colores omnes in coniū-

ctiua

ctiua considerantur; vltra coniunctiuam verò, id est in cornea, & vuea siue pupilla, tres solum; inquit Gal. sunt colores, vt etiam refert Dominicus Leonius lib.4.sect.1.art.med. cap. 2. idest vel glaucus, vel niger, vel medius: glaucus propter quantitatem, aut splendorem humoris crystallini accidit, aut propter situm prominentem, vel propter paucitatem, & puritatem tenuis & aquei humoris, qui in pupilla existit. Niger autem contrarijs de causis oriri solet, ex paucitate videlicet humoris crystallini, vel propter profundum situm, aut quia non est pellucidus, vel quia tenuis humor aqueus, vel purus non existit, aut est superabundans. Color denique medius, qui varius & caprinus appellatur contingit in oculo ex medijs pariter causis. Quibus ergò oculi glauci sunt, his calidi & sicci pariter temperamenti erunt; quibus autem nigri, frigidi, & humidi, quibus denique medij coloris sunt, secundum quod ad glaucum, vel nigrum colorem magis inclinant, magis etiam calidi, frigidi, humidi, vel sicci oculi erunt.

A tactu deindè oculorum temperamenta cognoscuntur, quia calidi, vel frigidi, humidi, vel sicci tactu ipso oculi deprehenduntur,

cum sint hæ tangibiles qualitates.

Tertio cognoscuntur ex motu, quia leuis, facilis, vel grauis, aut difficilis, velox, aut tardus, frequens, aut rarus, oculorum motus esse solet; grauis insuper aut cum pondere, vel sine pondere dari potest, sique pondus adsit erit ex materia aliqua frigida, & multa grauis, vt si non adsit pondus erit ex intemperie aliqua frigida, sed non multa. Velox insuper oculus aut habet velocitatem ordinatam, vel inordinatam; si ordinatam est naturalis, si inordinatam præternaturalis, atque oculorum velocitas intemperiem calidam, & siccã ostendit, sicuti frigiditatem, & humiditatem eorumdem ad motum tarditas.

Quarto à venis in membranis existentibus temperamenta oculorum cognoscuntur, quia venæ latæ, atque crassæ, caliditatem indicant cum humiditate, tenues atque angustæ frigiditatem cum siccitate.

Quintò forma siue figura oculorum naturaliter rotunda esse debet, nam alia forma quantitati percipiendæ non est congrua. prout ergò à forma orbiculari magis vel minus recedit forma, siue figura oculi, magis vel minus malam ipsius compositionem significat, & ideò etiam defectum aliquẽ visionis.

Sextò,

Sextò, temperamenta oculorum ex quantitate percipiuntur, nam simul cum concinnitate magnitudo, optimam temperiem demonstrat, absque concinnitate verò malam, atque frigidam potiùs, vt etiam eorumdem oculorum paruitas & absque concinnitate caliditatem arguit cum siccitate.

Septimò, oculorum temperamenta ipsæ etiam operationes significant, nam qui vidēt perfectè à longè & à prope, optimi temperamenti sunt: si autem è contra, non sunt boni temperamenti. oculi enim interdum propè vident & non longe, aliàs verò de longe & non prope, nonnunquam verò neque de longe vident, neque prope. qui exquisitè cominus vident etiam res paruas, & non eminus, claro sed pauco spiritu vigēt, qui ad longinqua extendi non potest, sed in itinere quodammodo dissipatur & euanescit, horum quidem complexio calida & sicca est biliosa: qui etiam longinqua cernunt, non autem propinqua, horum spiritus multus est, sed crassus, turbidus, non clarus, multaque distantia indigens, vel interstitio, vt clarescat, attenueturque, & horum complexio frigida est humida, pituitosa. At qui neque cominus, neque eminus exquisitè obiecta visibilia

cernunt, sed confusè, horum spiritus est paucus & turbidus, atque complexio frigida sicca melancholica.

Octauò, colligūtur temperamenta oculorum ab eo, quod exit, idest ab excrementis, nam oculus nullam patiens lippitudinem, neque lacrymas, temperamenti sicci est: lippitudine verò, atque lacrymis abundans humidæ complexionis erit.

Postremò temperamenta eadem oculorū habentur à dispositione ad passiones; nam qui à calore malè afficitur, & à frigore leuamen recipit, calidi temperamenti est, qui autem contrario modo se habet, contrariæ etiam complexionis erit (omnis etenim immoderata discrasia læditur à simili & à contrario iuuatur moderato vsu) quod si oculus neque à frigido, neque à calido læditur, atque in bonitate visus excedit, temperatus hic vtique erit: nam & extremis atque ægris causis resistere valens est, atque à temperatis conseruatur; & hæc sufficiant quoad visiuam facultatem.

DISPVTATIO XXIV.

SVperius examinãdo visionis impedimenta facta est mẽtio nyctalopiæ, siue luscio-

sitatis

sitatis latine dictæ, & de hac in præsēti disput. verba facientes, primò examinandū proponimus quisnam affectus ipsa sit, & qui nyctalopes appellandi veniant? atque ex communi opinione Medicorum nyctalopes illi dicūtur qui die satis vident, vespere parū, noctu verò nihil, vt videre est apud Gal. 2. meth. cap. 1. Aetiū lib. 2. ser. 3. cap. 46. Paulū lib. 3. cap. 22. Alexand. Trall. lib. 2. Auic. lib. 2. fen. 3. tract. 4. cap. 5. nec non etiam apud Actuarium lib. 2. cap. 7. atque alios ferè omnes, vnde & Plin. lib. 8. cap. 50. Caprinum iecur, inquit, vespertinam aciem restituit, ijs, quos nyctalopas vocant.

Verum, si ethimon verbi nyctalopis adamussim perpendatur, dicet fortasse aliquis, non benè verti, & explicari hanc dictionem vt nos explicauimus, neque illos esse nyctalopes qui vident interdiù non autem noctu. nyctalops enim ex dictione νυκτὶ ἀπωξεῖς dicitur; quæ verba si latinè reddantur nocturnam visionem significant, & nyctalops idem est atque nócturnus visus, sic enim etiam alia nomina, quæ ex dictione νὺξ originem ducunt non habent significationem negatiuam, sed potiùs affirmatiuam; vnde νυκτεϱεσία nocturnam vitam significat, νυκτεϱέτημα nocturnam

nam ambulationem, νυκτογραφία nocturnam scriptionem, & sic de alijs: quarè etiam νυκτάλωψ noctu videns dicendus est. Accedit ad hæc, quod author definit Med. nyctalopia, affectus est, inquit, siue mala oculorum dispositio sine conspicua causa, vsu autem sic habentibus euenit, vt interdiù non cernant, noctu verò conspiciant, quod idem ferè legitur etiam in lib. Gal. qui inscribitur introductio, siue Medicus. & denique Hipp. lib. 2. prorrhitt. dictione nyctalopes illos, qui noctu vident intellexit, non autem illos, qui non vident.

Ex altera verò parte omnes ferè communiter nyctalopes homines noctu non videntes intellexerunt, & ipse etiam Cornel. Celsus lib. 6. cap. 6. eundem Hipp. locum verbaliter adducẽs nyctalopes nomine noctu haud videntes intellexit, quarè cum nomina sint ad placitum, sentiendo & loquẽdo cum pluribus, Hipp. locum dicemus fortasse esse mendosum, cũ non sit verisimile omnes ferè alios in hac re cecutisse, dum νυκτάλωψ dictionem, noctu haud videntem hominem significare primæ classis viri asseuerarunt: nempè Arist. Plin. Auic. Paul. Alex. Trall. Actuar. & alij. Quamquam igitur dictio nyctalops secun-

dum

dum ethimon vocabuli propriè noctu videntē significet (vt optimè etiam Marsilius Cagnatus doctor meus adnotauit in lib. variarum obser. Nihilominus communi modo loquendi noctu non videntem hominem intelligere debemus;

Cum autem nyctalops vesperi parum, noctu verò nihil videntem significet: contra qui diù haud cernentes homines sunt, quo nomine appellandi erunt? Huic petitioni satisfacit Gal. in lib. qui introductio inscribitur, ημεραλωπας hos denominando, sicuti affectum ipsum ημεραλωπιαν.

Sed de hac nominū interpraetatione, quidquid sit νυκταλωψ siue nyctalopia, atque imeralopia affectus prҫter naturam sunt in genere noxæ functionis animalis sensibilis, non quidem ablatè nec deprauatè, sed diminutè, quia nyctalopes diù & serò parum vident, nocte verò multo minus, quam consueti sint, non autem quia de sero & nocte aliquo modò non cernant; vnde affectus est vt dicebam in genere diminutæ functionis animalis sensibilis.

Causæ verò nyctalopiæ sunt incrassatio humoris albuginei, & crystallini, vel crassities tunicarum oculi & corneæ præcipuè, aut

cras-

crassities & obscuritas spirituum animalium, nam spiritus & humores prædicti tanquam crassi & obscuriores visionē impediunt, multumque luminis requirunt: quarè cum die multum luminis externi adsit propterea vident nyctalopes, vesperi autem eodem lumine deficiente parum vel nihil cernunt. vt enim superiùs diximus ad visionem lumen requiritur, & lumen colores, vel species co lorum illustrat: lumen inquam externum illustrat externè, lumenque internum internè adiuuat: & præterea lumen interdum ex humore crystallino nascitur, vt retulimus ex Arist. in lib. de sens. & sensilib. part. 9. Cum autem crystallinus humor crassus est, atque opacus, lumen exhibere non valet, neque species intentionales obiectorum visibilium illustrare, quare nec etiam vespere siue noctu vident homines, quia scilicet lumen paucum internum à lumine externo iuuari non potest, nec ex se solo humor crystallinus ad easdem species illustrandas sufficiens est, qua eadem ratione alij humores, membranæ, vel spiritus crassiores & opaci eiusdem nyctalopiæ causæ sunt. Hæc etiam ratio est cur nyctalopes lumen solis respiciendo tolerare possunt vt Medici tradunt; sicuti è contra

qui

qui multum luminis intra oculos continent, & habent tunicas tenues, lucidosque spiritus & humores, imeralopes appellati sunt, noctu meliùs vident quam diu, quia propter quantitatem externi luminis spiritus in die disgregantur, noctu verò in opaco vniuntur, atque ad visionem validi aptioresque euadunt. Clarioris verò intelligentiæ causa audiamus in hac re loquentem Gal. 7. in 6. epid. com. 1. Quod enim vulpi, quæ alopis græcè dicitur. per diem accidit, nam ea propter spiritus tenuitatem diurno tempore videre non potest, propterea quod à radijs solis funditur, & discutitur, nocte verò cernit quod spiritus factus sit densior; id lusciosis seu nyctalope laborantibus de nocte euenit, quia de die cernunt, de nocte non item. cum enim materia ad cerebrum peruenerit illic permanet & temporis progressu putrescens fit nigrior, ideoque caliginosos vapores ad oculos mittit, ac spiritui, qui aspectum efficit tenebras offundit, de nocte vel cernunt, quod spiritus propter frigus fiat crassior; & hæc cum Gal. satis sint pro præsenti disputatione.

DI-

craſſities & obſcuritas ſpirituum animalium, nam ſpiritus & humores prædicti tanquam craſſi & obſcuriores viſionē impediunt, multumque luminis requirunt: quarè cùm die multum luminis externi adſit propterea vident nyctalopes, veſperi autem eodem lumine deficiente parum vel nihil cernunt. vt enim ſuperiùs diximus ad viſionem lumen requiritur, & lumen colores, vel ſpecies colorum illuſtrat: lumen inquam externum illuſtrat externè, lumenque internum internè adiuuat: & præterea lumen interdum ex humore cryſtallino naſcitur, vt retulimus ex Ariſt. in lib. de ſenſ. & ſenſilib. part. 9. Cùm autem cryſtallinus humor craſſus eſt, atque opacus, lumen exhibere non valet, neque ſpecies intentionales obiectorum viſibilium illuſtrare, quare nec etiam veſpere ſiue noctu vident homines, quia ſcilicet lumen paucum internum à lumine externo iuuari non poteſt, nec ex ſe ſolo humor cryſtallinus ad eaſdem ſpecies illuſtrandas ſufficiens eſt, qua eadem ratione alij humores, membranæ, vel ſpiritus craſſiores & opaci eiuſdem nyctalopiæ cauſæ ſunt. Hæc etiam ratio eſt cur nyctalopes lumen ſolis reſpiciendo tolerare poſſunt vt Medici tradunt; ſicuti è contra

qui

qui multum luminis intra oculos continent, & habent tunicas tenues, lucidosque spiritus & humores, imeralopes appellati sunt, noctu meliùs vident quam diu, quia propter quantitatem externi luminis spiritus in die disgregantur, noctu verò in opaco vniuntur, atque ad visionem validi aptioresque euadunt. Clarioris verò intelligentiæ causa audiamus in hac re loquentem Gal. 7. in 6. epid. com. 1. Quod enim vulpi, quæ alopis græcè dicitur. per diem accidit, nam ea propter spiritus tenuitatem diurno tempore videre non potest, propterea quod à radijs solis funditur, & discutitur, nocte verò cernit quod spiritus factus sit densior; id lusciosis seu nyctalope laborantibus de nocte euenit, quia de die cernunt, de nocte non item. cum enim materia ad cerebrum peruenerit illic permanet & temporis progressu putrescens fit nigrior, ideoque caliginosos vapores ad oculos mittit, ac spiritui, qui aspectum efficit tenebras offundit, de nocte vel cernunt, quod spiritus propter frigus fiat crassior; & hæc cum Gal. satis sint pro præsenti disputatione.

DI-

crassities & obscuritas spirituum animalium, nam spiritus & humores prædicti tanquam crassi & obscuriores visionē impediunt, multumque luminis requirunt: quarè cum die multum luminis externi adsit propterea vident nyctalopes, vesperi autem eodem lumine deficiente parum vel nihil cernunt. vt enim superiùs diximus ad visionem lumen requiritur, & lumen colores, vel species coforum illustrat: lumen inquam externum illustrat externè, lumenque internum internè adiuuat: & præterea lumen interdum ex humore crystallino nascitur, vt retulimus ex Arist. in lib. de sens. & sensilib. part. 9. Cum autem crystallinus humor crassus est, atque opacus, lumen exhibere non valet, neque species intentionales obiectorum visibilium illustrare, quare nec etiam vespere siue noctu vident homines, quia scilicet lumen paucum internum à lumine externo iuuari non potest, nec ex se solo humor crystallinus ad easdem species illustrandas sufficiens est, qua eadem ratione alij humores, membranæ, vel spiritus crassiores & opaci eiusdem nyctalopiæ causæ sunt. Hæc etiam ratio est cur nyctalopes lumen solis respiciendo tolerare possunt vt Medici tradunt; sicuti è contra
qui

qui multum luminis intra oculos continent, & habent tunicas tenues, lucidosque spiritus & humores, imeralopes appellati sunt, noctu melius vident quam diu, quia propter quantitatem externi luminis spiritus in die disgregantur, noctu verò in opaco vniuntur, atque ad visionem validi aptioresque euadunt. Clarioris verò intelligentiæ causa audiamus in hac re loquentem Gal. 7. in 6. epid. com. 1. Quod enim vulpi, quæ alopis græcè dicitur. per diem accidit, nam ea propter spiritus tenuitatem diurno tempore videre non potest, propterea quod à radijs solis funditur, & discutitur, nocte verò cernit quod spiritus factus sit densior; id lusciosis seu nyctalope laborantibus de nocte euenit, quia de die cernunt, de nocte non item. cum enim materia ad cerebrum peruenerit illic permanet & temporis progressu putrescens fit nigrior; ideoque caliginosos vapores ad oculos mittit, ac spiritui, qui aspectum efficit tenebras offundit, de nocte vel cernunt, quod spiritus propter frigus fiat crassior; & hæc cum Gal. satis sint pro præsenti disputatione.

crassities & obscuritas spirituum animalium, nam spiritus & humores prædicti tanquam crassi & obscuriores visionẽ impediunt, multumque luminis requirunt: quarè cùm die multum luminis externi adsit propterea vident nyctalopes, vesperi autem eodem lumine deficiente parum vel nihil cernunt. vt enim superiùs diximus ad visionem lumen requiritur, & lumen colores, vel species co lorum illustrat: lumen inquam externum illustrat externè, lumenque internum internè adiuuat: & præterea lumen interdum ex humore crystallino nascitur, vt retulimus ex Arist. in lib. de sens. & sensilib. part. 9. Cum autem crystallinus humor crassus est, atque opacus, lumen exhibere non valet, neque species intentionales obiectorum visibilium illustrare, quare nec etiam vespere siue noctu vident homines, quia scilicet lumen paucum internum à lumine externo iuuari non potest, nec ex se solo humor crystallinus ad easdem species illustrandas sufficiens est, qua eadem ratione alij humores, membranæ, vel spiritus crassiores & opaci eiusdem nyctalopiæ causæ sunt. Hæc etiam ratio est cur nyctalopes lumen solis respiciendo tolerare possunt vt Medici tradunt; sicuti è contra

qui

qui multum luminis intra oculos continent, & habent tunicas tenues, lucidosque spiritus & humores, imeralopes appellati sunt, noctu meliùs vident quam diu, quia propter quantitatem externi luminis spiritus in die disgregantur, noctu verò in opaco vniuntur, atque ad visionem validi aptioresque euadunt. Clarioris verò intelligentiæ causa audiamus in hac re loquentem Gal. 7. in 6. epid. com. 1. Quod enim vulpi, quæ alopis græcè dicitur. per diem accidit, nam ea propter spiritus tenuitatem diurno tempore videre non potest, propterea quod à radijs solis funditur, & discutitur, nocte verò cernit quod spiritus factus sit densior; id lusciosis seu nyctalope laborantibus de nocte euenit, quia de die cernunt, de nocte non item. cum enim materia ad cerebrum peruenerit illic permanet & temporis progressu putrescens fit nigrior; ideoque caliginosos vapores ad oculos mittit, ac spiritui, qui aspectum efficit tenebras offundit, de nocte vel cernunt, quod spiritus propter frigus fiat crassior; & hæc cum Gal. satis sint pro præsenti disputatione.

DI-

qui multum luminis intra oculos continent, & habent tunicas tenues, lucidosque spiritus & humores, imeralopes appellati sunt, noctu meliùs vident quam diu, quia propter quantitatem externi luminis spiritus in die disgregantur, noctu verò in opaco vniuntur, atque ad visionem validi aptioresque euadunt. Clarioris verò intelligentiæ causa audiamus in hac re loquentem Gal. 7. in 6. epid. com. 1. Quod enim vulpi, quæ alopis græcè dicitur. per diem accidit, nam ea propter spiritus tenuitatem diurno tempore videre non potest, propterea quod à radijs solis funditur, & discutitur, nocte verò cernit quod spiritus factus sit densior; id lusciosis seu nyctalope laborantibus de nocte euenit, quia de die cernunt, de nocte non item. cum enim materia ad cerebrum peruenerit illic permanet & temporis progressu putrescens fit nigrior, ideoque caliginosos vapores ad oculos mittit, ac spiritui, qui aspectum efficit tenebras offundit, de nocte vel cernunt, quod spiritus propter frigus fiat crassior; & hæc cum Gal. satis sint pro præsenti disputatione.

DISPVTATIO XXV.

Aristoteles 2. de anima tex. 77. post potentiam visiuam agit de auditiua, & sic loquitur (Nunc autem primo de sono & auditu determinemus. est autem duplex sonus alius enim actus quidam est, alius autem potentia: quædam verò non habere sonum dicimus, vt spongiam, lanam; quædam autem habere, vt aes, & quæcumque solida & leuia sunt, quoniam possunt sonare. hoc autem est inter ipsum & auditum facere sonum actu) Nimirum post expeditam potẽtiam visiuam transfert se ad auditiuam tanquam fortassè secundo loco digniorem, & quoniam vt superiùs docuit obiecta sunt potentijs notiora, propterea de sono auditiuæ facultatis obiecto verba facere incipit, duplicem esse sonũ inquiens, alium scilicet actu, alium verò potentia, nimirum pollent sono actu nonnulla, aliqua verò potentia, alia verò neutro modo, vt spongia, lana, pili, & reliqua huiusmodi, quæ neque potentia neque actu sonum habent. quæ autem potentia sonum habent sũt aes, argentum, & quæcumque solida, & leuia sunt, cum sonum efficere valeant inter ipsa

scili-

scilicet & auditum. actu autem sonum habent medium ipsum, & organum auditus. Super quæ verba occurrit aliqua difficultas, quia sonum in medio & organo actu reperiri nequaquam affirmari posse videtur, sed in obiecto potius, cum in eo sit sonus quod est audibile, vel auditur, quale tamen est ipsum corpus sonans. Nam quando alicuius campanæ, exempli gratia, sonus auditur, communiter dicimus quod campanam audimus, ac proinde sonus actu in ipsa campana & subiecto videtur esse.

Præterea, cum aliquid est in potentia ad aliud, si illud fiat in actu, erit in eo tanquam in subiecto, & quando corpus est in potentia ad motum, & postea actu mouetur, motus in ipso corpore actu reperitur, quarè & sonus actu est in subiecto ad sonandum apto, & in potentia, non autem in medio & organo, vt Aristot. docet.

Verùm, non est, quod propter dicta superiùs recedamus ab Aristot. qui optima ratione docuit non in corpore sonante vt in subiecto, sed in medio & organo sonum esse: nam sonus, vt dicemus, rarefactibilis corporis fractio est: non autem subiectum, sed medium frangitur: fit enim sonus ex duobus corporibus

poribus duris; atque leuibus ſe ſe inuicem collidentibus, atque aerem medium frangentibus, & ideò cum id, quod frangitur ſit ipsũ medium, in medio ſonus efficitur, non autem in corpore & ſubiecto ſonante.

Reſpondetur tamen ad argumenta in cõtrarium adducta, & primo ad primum. In eo eſt ſonus, quod audibile dicitur, ſicuti cãpana auditur. Reſpondetur, quod campana non habet ſonum actu & formaliter ſed effectiuè, dicitur enim audiri campana faciens ſonum, non autem ſonum habens.

Ad ſecundum reſpondetur, quod campana, vel ſubiectum non eſt in potentia ad ſonandum, hoc eſt ad ſonum in ſe habendum, ſicuti corpus ad ſe immediatè mouendum, ſed eſt in potentia ad ſonandum, id eſt ad ſonum efficiendum in medio, illudque ſcindendũ, atque ita ſonus actu non eſt in campana, ſed in aere, & medio ex alliſione cãpanæ.

Sed rurſus contra eandem concluſionem, quod ſonus actu ſit in aere, & in organo, ita aliquis argumentabitur. Sicuti ſe habet color ad corpus coloratum, ita ſonus ad corpus ſonorum. Sed color in corpore colorato reperitur vt in ſubiecto. ergò etiam ſonus in corpore ſonoro.

Secun-

Secundò, vnum & idem non debet esse subiectum qualitatis sensibilis, & medium sentiendi, vt in colore & sapore manifestum est. ergò neque sonus potest esse vt in subiecto in aere, & medio.

Prætereà illud quod sonum efficit eundem non recipit, quia idem esset actu, & potentia respectu eiusdem, sed aer facit sonum, cum sonus ex fractione aeris oriatur. ergò aer non potest esse subiectum soni, atque actu sonum habere.

Ad primum argumentũ respondetur, non valere paritatem allatam sicuti se habet color ad corpus coloratum, ita etiam se habere sonum ad corpus sonorum, negatur enim similitudo, cum duplici modo medium ad sonum concurrat, idest vt subiectum, & præterea vt causa, quod de colore in corpore colorato affirmari non potest.

Ad secundum respondetur, quod secundum diuersas partes consideratus aer benè potest esse subiectum soni, & medium sentiendi; nempe est subiectum secundum illas partes in quibus sonus efficitur, & est mediũ secundum illas, in quibus soni species tanquã in medio recipiuntur.

Ad tertium respondetur, quod idem di-

uerso modo consideratum potest esse actu & potentia; sicuti aer est actu quatenus sonum facit, est autem potentia prout recipit, & sic in medio & organo sonus reperitur actu, vt Arist. in contex. docet.

DISPVTATIO XXVI.

DVplicem esse sonum Arist. in cõtex. 77. superiùs dixit; nempè actu, & potentia, & quæ sonum actu habeant, quæque in potẽtia, & quæ nullo modo similiter edocuit: ideò in contex. 78. explicat generationem eiusdem soni, & sic loquitur (Fit autem secũdum actum sonus semper alicuius ad aliquid & in aliquo, percussio enim est quæ facit. vnde & impossibile est cum vnum, fieri sonum: aliud enim est quod verberat, & quod verberatur, quare sonans ad aliquid sonat, ictus autem non fit sine latione) Vnum videlicet, inquit Arist. vel vna res tantum non potest sonum efficere, sed plura requiruntur, oritur enim sonus ex fractione aeris, vt dicebamus, & ideò duo requiruntur, inter quæ ipse aer frangatur. Verum circa pluralitatem rerum ad soni generationem dubitabit fortassè aliquis: quia motus corrigiæ exempli gratia, aut

ali-

alicuius virgæ in aere vtique ſonum edit; ergò plura ſe ſe ad inuicem percutientia nequaquam requiruntur, vt Ariſt. docet.

Reſpondetur, quod aer ſecundum diuerſas partes in hoc caſu duorum corporum vicem gerit, nempè ſecundum vnam partem condenſatur, & gerit vicem alterius corporis percutientis ſimul cum virga, ſecundũ aliam verò partem gerit vicem medij & ſonum in ſe recipit. Quare vt Ariſt. benè docet non vnum, ſed plura requiruntur ad ſoni generationem, nempè verberans, verberatum, & medium.

Cum autem verberans & verberatum pro ſoni generatione requirantur, ſequitur in eodem textu Ariſtot. declarare qualia eſſe debeant huiuſmodi corpora, & ſic habet (Sicuti autem diximus, non quorumlibet ictus ſonus eſt, nullum enim faciunt ſonum lanæ ſi percutiantur, ſed æs, & quæcumque leuia & concaua ſunt, æs quidem quoniam leue eſt, concaua autem reflexione faciunt multos ictus poſt primum euadere, quod motum eſt, non valente) & tex. 79. Inſuper auditur in aere, & in aqua, ſed in aqua minus). Nempè poſtquam docuit Ariſt. ſoni generationem, docet medium, quod ſoni auditioni inſeruit, & eſt

aer, vel aqua, minus autem aqua, quam aer, cum aer velociùs moueatur, quam aqua, & aqua, densior aere sit, vnde & species soni per aquam difficiliùs pertransire valent. Simplicius in com. (Auditur, inquit, in aere, & in aqua in hac verò minus, tanquam aere crassiori, atque meatus auditorios obstruente. Aliud est autem in aqua audiri, & aliud per aquam, non enim per aquam, vt per medium auditur, quia medium auditus est solus aer, in aqua verò auditur etiam mediante aere, si aliqua auditio in aqua fit, nam falsò in aqua audiri nonnulli etiam & experientia profitentur, cum pisces quicumque sonus fiat, & quantumcumque fortis non aufugiant, nisi viderint ipsum sonantem.

Vlteriùs tex. 80. (Echo autem fit, inquit Arist. quando ab aere vno facto propter vas quod terminauit, & prohibuit frangi, iterum aer repellitur, quemadmodum sphæra) nempè quia superius de sono in communi, & medio locutus est, incipit agere de eiusdem soni speciebus, & primò docet quo modo echo contingat. echo inquiens ex aere commoto accidit qui perueniens ad obstaculũ aliquod concauum, neque vlterius motum prætendere valens, aerem, à quo percutiebatur iterum

rum

rum ferit, motusque in contrarium agitur, qui echo appellatur. Accidit enim in generatione soni quemadmodum & in aqua, quæ si fortè percutiatur statim in illa apparent gyrationes, eæque sunt quidem minores, quando sunt viciniores parti percussæ, sed sonum maiorem efficiunt, quia etiam mouẽtur motu maiore: In remotis autem partibus, tametsi gyrationes aquæ maiores conspiciantur, quia tamen earumdem motus est imbecillior etiam sonus, qui auditur est obscurior, & tandem quando gyrationes aquæ deficiũt, simul deficit etiam sonus. & ante quam prædictæ gyrationes ex toto desinant, si fortè aliquando obstaculum, vel corpus impediens habeant obuiam, motus gyrationis prædictus in contrarium reflectitur. & ita accidit etiam in sono, generatur enim sonus ex aeris fractione, acciduntque eiusdem aeris gyrationes sicuti & aquæ, & antequam deficiant, si aliquod obstaculum & præcipuè concauum inueniant, fit repercussio & reuerberatio eiusdem aeris, & in contrariam partem gyrationes dictæ reuertuntur, atque sonus ex aduerso auditur, qui echo appellatur.

Sed dubitabit fortasse aliquis, vtrum echo idem sonus prorsus sit qui primò audiebatur.

an verò sonus aliquis ex alia aeris fractione, siue obstaculo factus. & quidem non esse eundem probari videtur ex eo, quia inter primum sonum & echo intercedit tempus, in quo nullus sonus percipitur: & præterea quia efficitur ex noua aeris fractione in concauo vt paulò ante dicebamus: ideoq. sonus idem echo non est, sed nouiter factus.

Ex altera verò parte echo eandem cum primo sono figuram habet, & easdem literas siuè syllabas refert vt experientia cuique patet. ergò idem sonus cum primo est, non autem diuersus, & nouiter factus, cum etiam reflectentia corpora nouam vocem formare non valeant, vtpotè instrumentis carentia, quæ vocem articulatam formare possint, qualia sunt ad vocis articulationem lingua, dentes, labia, palatum, larinx & similia. Vnde echo dici debet esse idem sonus cum primo non autem diuersus siue de nouo factus.

Neque obstat, quod echo ex Arist. generetur ex repercusso aere in concauo, quemadmodum sphœra; nam, esto quod interdum ita echo generetur, vt plurimum tamen, atque in longis partibus non potest obseruari quod ita fiat: nam impossibile videtur, quod lingua & larinx cum alijs partibus oris, adeò

forti-

fortiter in voce generanda aerem percutiant, propellantque, vt ad partes longinquas, vbi fit echo actualiter idem aer perueniat cum exile corpus maximum motum in aere, & ad locum valde distantem non possit efficere. Vnde ego potius dicerem fieri echo in corpore concauo, quoniam soni species ibi magis vnitæ recipiuntur, sicuti etiam in lumine apparet, quod in concauo magis vnitum est pariter atq. magis conspicuũ quam in medio. & hæc eadẽ ratio est, quare inter echo & sonum priorem tempus aliquod intercedat. nimirum quia in medio soni species disgregatæ sunt, & sic minus audiuntur. Quarè non est echo noua vox, sed eadem in concauo magis vnita, atque ab eodem concauo ad nos iterũ repercussa vel reflexa.

Ampliùs inter species soni præcipua est vox, de qua Arist. in contex. 87. (Vox autem, inquit, sonus quidam est animati, inanimatorum enim nullum vocem edit, sed secundum similitudinem dicuntur vocem edere, vt tybia, & lyra, & quæcumque alia inanimatorũ extensionem habent & concentum, & locutionem, videntur enim, quia & vox hæc habet) Vox ergò soni species ex Arist. animatis tantummodò, vel potius animalibus compe-

 tit,

tit, cum sit sonus articulatus, & articulationem non faciant, nisi animata: siquidem articulatio non potest fieri, nisi præcedente aliqua facultatis imaginantis operatione, qua imaginatione non pollent, nisi animata. Neque obstat, quod tibiæ, lyræ, & alia similia instrumenta veluti vocem edant, & fere loquātur, vt patet, nam similitudinariè hæc vocem edere dicuntur, vt subdit Arist. & per participationem ex animato, est enim vox percussio respirati aeris ab anima, quæ est in his partibus ad vocatam arteriam. neque omnis sonus animalis vox est, sicuti diximus, cum contingat etiam lingua sonare, sicuti faciunt tussientes, sed oportet animatum esse verberans & cum imaginatione aliqua, vt inferiùs in contex. 89. docet Arist.

Insuper neque animata omnia vocē edūt, vt subdit Arist. (multa inquiens animalium vocem non habent, vt ea quæ sunt sine sanguine, & sanguinem habentium pisces. & hoc rationabiliter, siquidem sonus aeris motus est. sed qui dicuntur vocem edere, sicut in Achelao sunt pisces sonant branchijs, aut quodam alio huiusmodi) quibus verbis clarè loquitur Arist. & illa solū animalia affirmat posse edere vocē, quæ respirant. & ideò pisces tanquā

san-

ſanguine carentes, & per conſequens reſpiratione, vocem minimè edunt, atque ſi fortè etiam aliqui ex piſcibus vocem aliquã edunt, impropriè vox eſt, & ſimilitudinariè, vt diximus de tibicine, atque certum eſt, quod non omnes, ſed ſolum aliqui ex piſcibus vocem edunt, & illi præcipuè ſunt, qui ambiguam vitam degunt, cuiuſmodi eſt crocodilus, & equus marinus, qui piſces cum ſint, viuunt tamen etiam extra aquam, & fortaſſe non ſine aliqua reſpiratione.

DISPVTATIO XXVII.

HActenus egimus de ſenſu auditus, & de cauſis & ſpeciebus ſoni, nunc verò agẽdum eſt de organo & de proprio auditus inſtrumento. Nam Ariſt. 2. de anima cap.8. & lib. de ſenſu & ſenſil. inſtrumentum auditus inſitum aerem eſſe docet, qui intra quandam pelliculam continetur, quietus autem cum à ſonis non agitatur. Vtque Mercatus etiam ait lib. 1. de ſenſibus externis part. 5. art. 2. quæſt. 97. hic idem aer, qui dicitur ex Ariſtot. præcipuum auditus ſenſorium, non eſt extrinſecus adueniens, ſiuè aduentitius, puruſuè aer, ſed & ſpirituoſus intra aurem genitus

tus in prima fœtus formatione, ex aerea spirituosaque seminis parte, neque solum alimentaria vita viuens, verum etiam animali.

Atque aerem siue potius aeream substantiam auditus instrumentum præcipuum esse colligitur, inquit Vallef. lib. 2. controuers. cap. 25. ex eo quia instrumentum similis naturæ esse debet cũ rebus illi subiectis; at sonus ex aeris verberatione fit, vt in superioribus ex Arist. audiuistis, quarè facultati animali afferri haud aliter potest, quam sono externo in membrum aliquod transmisso: nullum autem membrum soni capax esse potest, nisi etiam sit aereum, quarè instrumentum auditus tale aliquid necessariò est, id est aer in ipso auris meatu existens, vt diximus, vnde Empedocles Gal. 7. de placit. etiam referente.

Sentimus terram tellure, liquore liquorem
Aere aeream substantiam, ignem quoque cernimus igne.

Aer itaque vel aereum auditus organum esse debet, inquit etiam Vallef. ex Arist. nam ad hoc vt fiat sensus siue sensatio, necesse est proprium instrumentum ab illis affici quæ sentiuntur, cum sentire sit quoddam pati ex Arist. in hoc 2. de anima, vt audiuistis. Affici verò à sono aer solummodo potest: quarè

aer siue aerea substantia auditiuæ potentiæ organum propriè est.

Verum aduersus hanc communiorem Aristot. sententiam sic aliquis dicere posset. Hipp. in lib. de carnib. proprium instrumentum auditus dicit esse neruum quintæ coniugationis ad aurem progredientem, illumque duriorem esse solidioremque, quoniam quæ talia sunt sonum facillimè edunt. & Gal. lib. 1. de caus. sympth. cap. 3. vbi auditus instrumẽtum ex professo inuestigat, ita loquitur. Quã enim habet in oculo crystallinus humor rationem, hanc eandem habet in auribus ipsa audiendi meatus extremitas, vbi neruo dilatato coniungitur. Quarè nerui extremitas auditus sensorium est, non verò aer, vt supra concludebatur.

Sed cum Aristot. communis sententia est, aerem ingenitũ intra aures existentem auditus sensorium esse, siue organum; nam auditus organum necesse est, quod afficiatur à rebus, quæ sensiuntur, cum sentire sit quoddam pati, vt iam diximus. pati autem à sonis aer solummodo valet, non autem neruus, aut aliud simile corpus: nam corpora duriora edunt sonum verberando ipsum aerem, atque alium aliumque sonum efficiũt pro alio

atque alio modo verberationis.quarè neruus ſiue alia ſubſtantia dura percuſſione ab externo aere facta ſonum edere non valet, niſi ipſum iterum aerem reuerberando, vnde verberatione aeris ſonus efficitur, quem inſitum & animatum pariter eſſe debere conſtat.

Ad Hipp.ergò in lib. de carnib. reſpondetur primo, librum hunc non eſſe Hippocr. genuinum: nam ſi organum auditus neruus eſſet, ſequeretur, quod nunquam poſſemus voces ſyllabis diſtinctas audire, cum ſolus aer ſit aptus ad recipiendas voces diſtinctas, quales ex ore emittuntur: nerui autem è contra, aut aliæ partes duriores ſunt quidem aptæ vt ſonum, atque ſtrepitum edant, non autem vt recipiant intra ſe, ſicut apparet in incude percuſſa à malleolo. Neque obſtat exemplũ fidium citharæ, aut aliorum inſtrumentorũ; nam hæc ſonum edunt non aliter quam malleus, atque incus,ideſt aerem ſolum frangendo, collidendoque non autem ſonum recipiendo.

Ad Gal. verò reſpondentes, dicimus, eum nihil aſſerere contra noſtram ſententiam: nam eandem dicit habere rationem audiendi extremitatem, vbi neruo dilatato coniungitur

gitur quam habet in oculo cryſtallinus humor. Quare ex Gal. inſtrumentum audiendi non eſt neruus, ſed illud quod neruo coniungitur. Quod verò in fine nerui auditorij coniunctum reperitur eſt membrana quædam timpanum ab anatomicis dicta, intra quam aer ſupradictus continetur, qui eſt organum auditus ex Ariſt. & communiori ſententia. Atque vt melius intelligatur modus audiendi, ſciendum eſt ex Mercato loco cit. obiectum auditionis eſſe ſonum, præterea ſpiritum animalem eſſe inſtrumentum idoneum ad conſeruandum benè diſpoſitum auditorium organum, nec non etiam ad ferendas ſpecies intentionales, ſiuè imagines ſoni ad primũ ſenſorium: aerem prætereà congenitũ eſſe inſtrumentum & organum auditionis, & denique membranam varijs poroſitatibus intrinſecus excauatam inſeruire pro ſuſceptione, & cõprehenſione aereæ, viuentiſque ſubſtantiæ, atque neruum à quo ipſa membrana dilatatur eſſe vehiculum ſpirituum animalium; & intra hæc, inquit Mercat. loco cit. vniuerſalis audiendi modus continetur.

DISPVTATIO XXVIII.

DE odore, & odorabili, vel olfactibili non est ita facilè determinare, nõ enim sic manifestũ est quid sit odor, sicuti est manifestum quid sit sonus, aut lumen, vel color, & ratio est, quia sensum hunc non habemus certum, sed peiorem multis animalibus, prauè enim odorat homo, & nihil sentit odorabilium sine molesto aut iucundo, tanquam non existente certo sensorio, vt habet Arist. in contex. 91. Nimirum post explicatas potentias visiuam, & auditiuam, de olfactiua est agendum, quia à nobilioribus & fortioribus in sensibus discutiendis progrediendum est, nempè de sensu visus primo loco egit Arist. quia nobilior est alijs, & in longinquas partes magis operatur quam auditus, aut olfactus, vel alij sensus; & deinde disseruit eadem ratione de auditu; nunc verò agit de olfactu, & postremò gustatiuam potẽtiam examinabit, quæ solum agit in propinquo, non autem in remoto sicut alij sensus iam explicati.

De odore igitur & olfactibili minus facilè determinare est dictis, inquit Aristot. hoc est visu,

visu, & auditu, colore, lumine, & sono; nimirum quia homines minus odorant, & in hac potentia minus valent, quam cætera animalia, vt inferiùs subdit. At quæ sit ratio, quare homines minus odorent, quam cætera animalia quæret fortaßè nunc aliquis? Respondet Aegydius Romanus in comm. quia homines cerebro magis abundant, quam reliqua animalia proportionabiliter tamen loquendo) cerebrum enim cum sit frigidum & humidum non parum lædit organum olfactus, nempè caruncuIas, quæ intra nasum existunt ad cerebri confinia, dum illas calore destituit. tunc enim vnaquæque facultas rectè operatur, quando organum & obiectum inter se benè correspondent: quarè cũ obiectum olfactus sit calidum & siccum, & odor nil sit aliud nisi fumosa euaporatio, vt Arist. in contex. 100. infra docet; etiam organum calidum & siccum esse deberet, at non adeò humidum & frigidum quemadmodum est in hominibus, qui ea de causa minus odorant vt Aristot. asserit, quam cætera animalia; vt canes, exempli gratia, & inter volatilia corui aut similia calidiora animalia sunt, nec cerebro copiosiori referta.

Sed contrà hoc quod obiectum olfactus sit cali-

calidum & siccum, dicet fortaſsè aliquis probari oppoſitũ exemplo camphoræ roſæ fungi & aliorũ ſimilium, quæ tametſi natura ſua frigida, nihilominus odorabilia valdè ſunt.

Reſpondetur, quamuis aliqua obiecta olfactus prædominatiuè ſint frigida, nihilominus quia ſunt concreta heterogeneis partibus continent in ſe aliquos gradus caloris, & ratione illorum, deinde etiam odores emanant. Amplius odorata ſunt magis obiecta aliqua frigida, quam alia calidiora ratione ſubſtantiæ, quia quod eſt odorabile neceſſe eſt, vt in vapores reſoluatur, reſoluuntur autem ea magis obiecta, quæ tenuiſſimis conflata partibus ſunt, vt eſt camphora, ſeù aliud ſimile, tenueque corpus.

Vlteriùs circa illud aliud, quod minus odorant homines, quam cætera animalia, ſic fortè dubitabit aliquis. Nobilioris animæ nobilior quoque atque perfectior potentia eſſe debet. Sed anima hominis cœteris animabus eſt nobilior. ergò etiam potentia odoratus, nobilior, atque perfectior eſſe debet.

Secundò homo olfactu quaſdam ſpecies odoris percipit, quas aliorum animalium odoratus non cognoſcit. ergò olfactus hominis aliorum animalium odoratu eſt perfectior.

ctior. Non igitur homines minus odorant, quam cœtera animalia.

Quod hominum olfactus quosdam odores ab odoratu cœterorum animalium haud cognitos percipiat, res est clara cum Arist. in lib. de sens. & sensil. quoniam homines odores quosdam secundum se delectabiles assequuntur, cuiusmodi sunt odores vnguentorum, florum, & similium, quos tamen noscere solius hominis proprium est: bruta verò odores vt delectabiles sunt non percipiunt, vel olfaciunt, nisi in quantum ijdem odores ad ipsorum nutritionem inseruiunt.

Denique perfectioris tactus est homo quã cœtera animalia. ergò etiam perfectioris odoratus dicẽdus est esse, cum odoratus semper fiat mediante aliquo tactu.

Sed Aristot. his non obstantibus vt audiuistis contrarium docet, & minus odorant, inquit, homines, quam cœtera animalia, nam homines vt ait Aegidius in com. magnam copiam cerebri habent, sicuti ex somno lõgiore colligitur, cũ dormiant homines magis, quã cœtera animalia, vnde Auer. dixit, quod dimidium vitæ homo dormit & Arist. eadem ratione somni 1. Ethic. quod secundum vitæ medietatẽ homo fœlix ab infœlici nõ differt.

Ad argumenta autem allata ſic reſpondetur, & primo ad primum, quod nobilioris animæ nobilior atque perfectior potentia eſt, dicimus hanc propoſitionem veram eſſe ſi de potentijs proprijs intelligatur, non verò de communibus, vt eſt odoratus, & quamuis concederetur ex parte potentiæ in homine adeſſe nobiliorem potentiam olfactus, id nihilominus ex parte organi minimè valet, quod vt diximus tanquam frigidum eſt minus aptum.

Ad ſecundum, homo cognoſcit nonnullas odoris ſpecies, quas cœtera animalia non percipiunt, cum diſtinctione reſpondetur, nimirum quia homo odorat vt homo, animalia autem cœtera, vt animalia ſunt. atque ita ſimul cum hac mixtione rationalitatis, atque naturalitatis, homo plures ſpecies odoris percipere valet, atque vt homo, minus autem vt animal eſt.

Tertiò, poſſidet homo meliorem tactum cunctis alijs animalibus. ergò etiam & meliorem olfactum. Reſpondetur etiam melioris tactus participem eſſe hominem ſecũdum totum conſideratum, non autem ſecundum partes: nam & ſi totus homo conſideratus vt totus, meliorem tactum habeat, conſideratus

tamen

tamen secundum partes deteriorem habere potest, vt in hoc tactu olfactus accidit, in quo frigidioris organi defectu, & magis humidi, minus homo viget cœteris animalibus. Hoc verò ipsum quod homo minus odoret, quam cœtera animalia non est intelligendum facta comparatione, & distributione per omnia simpliciter, quasi homo minimè omnium odoret, & nullum sit animal, quod odoret minus quam homo, sed solum est intelligendum facta comparatione cum pluribus, cum re vera dentur aliqua præter hominem frigidiora animalia, & odoratu minus pollentia ipsis hominibus, veluti boues sunt, qui laxioris nasi causa, plusque aeris recipientis, quam par sit, olfactus instrumento frigidiori pollent & minus odorant: ex qua etiam laxitate narium talis formæ homines physiognomi fatuos esse pariter iudicant, atque bouum naturæ.

Sed dicet aliquis non valere hanc rationem, quod homines instrumenta odoratus frigida & humida habeant; & iccirco ad olfaciendum quoque sint minus apti, nam odoratus passio quædam est, quæ nonnisi cum aliqua mutatione transigi potest. Vnde cum odorabilia calida & sicca sint vt plurimum,

& odor fumosa quædam exalatio sit, vt sæpiùs audiuistis, potius videntur odorantis instrumenta debere esse frigida & humida, quia alioquin nulla mutatio ijs accideret ex odore, & sensus à simili esset, nō à contrario, neque sentire esset quoddam pati, vt ex Arist. docebatur.

Respondetur, vtique nonnullam frigiditatem & humiditatem requiri ad hoc, vt odor in organo olfactus percipiatur, eam tamen non debere esse in excessu, & intensam, vt est in homine: quia excellentia humiditatis, atque humidæ qualitatis obtundit odorem, & minus sensibilem, siue olfactibilem reddit.

DISPVTATIO XXIX.

DE sensu olfactus sic habet Arist. tex. 97. (est autem olfactus per medium vt aerē & aquam, etenim aquatica videntur odorem sentire, similiter autem & quæ sanguinem habent, & quæ non habent, sicuti quæ in aere, etenim horum quædam eminus accurrūt ad alimentum ab odore mota) Nempè in præsenti Arist. docet de medio odoris, quod est aer, vel aqua, aqua inquam, nam & anima-

lia

lia quæ in aquis degunt etiam olfacere videtur, siuè sanguinea sint, siuè sanguine carentia: sicuti & ea quæ versantur in aere, hoc est volatilia: nam vtraque hæc animalia odorem alimenti eminus percipiunt, atque ad ipsum accurrunt. & odorem alimenti habent hæc animalia quia verè non ad alium finem sunt prædita olfactiua potentia. Sed circa mediũ olfactus ab Aristot. assignatum dubitabit aliquis ex eo, quia odor fumosa exalatio est, quare per aquam deferri non potest, cum aqua frigida sit natura sua. Sed respondetur, quod non per aquam puram, sed mixtam, & impuram odorem deferri docet Arist. Vlteriùs dubium est etiam, vtrum omnia similiter odorent; nam homo respirans odorat: non respirans autem sed expirans, aut retinens spiritum non odorat, neque eminùs neque cominùs, neque si intra nasum ponatur res odorata, cum in ipso sensorio positum sensibile sit insensibile vt communiter omnes admittunt. Sed respondetur, quod non sentire odorem sine respiratione est proprium hominum, vt manifestum est experientibus. Quare quæ sanguinem non habent, & non respirant alium vtique quendam sensum habent, præter eos qui dicti sunt, vt subdit Ari-

ſtot. in contex.98.& 99. Declarato enim medio olfactus dubitat deinde circa eundem olfactum, vtrum idem ſit ſenſus olfactus in hominibus, atque alijs animalibus, & rationem dubitandi in eo ponit, quia homo ſolum odorat inſpirando aerem, non autem eũdem retinendo, vel expirando, aut foras mittendo, neque prope, neque longè, etiam ſi adorabile intra naſum poneretur (quãuis hoc, quod ſenſibile ſupra ſenſorium poſitum non ſentiatur ſit commune omnibus ſenſibus.) Quare cum homines ſolum aerem reſpirando olfaciant, videtur indicare Ariſtot., quæ carent ſanguine animalia, & per conſequens non reſpirant, præter olfactum ſiuè olfactiuam potentiam aliquem alium ſenſum habere, cum quo odorabilia percipiant.

Hanc verò dubitationem ſoluit ſubindè Ariſt. in contex. 99. atque 100. Impoſſibile inquiens hoc eſſe videtur, neque alio ſenſu animalia odores ſentire quam potentia olfactiua ſicuti homines odorant. Nam ſenſus olfactus ſenſus eſt rei tam benè olentis, quàm malè, qui ſenſus tam in hominibus reperitur, quam in brutis, cum ſit commune vtriſque vt percipiant tam benè olentia quam etiam malè. Præterea olfactiua potentia etiã

in

in brutis æquè corrumpitur à fortibus odoribus, atque in hominibus. ergò eadem potentia olfactiua non autem distincta in animalibus non respirantibus, atque in hominibus reperitur. Neque obstat quod diuerso modo olfacere videantur homines ab animalibus sanguine carentibus, & non respirantibus: nam ista diuersitas non prouenit ex parte sensus, sed ex parte organi, & ex diuersa organi dispositione, vt subdit Aristot. differt enim organum olfactus in hominibus ab organo aliorum animalium, sicut etiam oculi hominum ab oculis aliorum diuersi sunt. Siquidem oculi hominum habent quoddam phragma, seu pannum, quo palpebræ teguntur, vnde homines videre non valent, nisi palpebræ retrahantur; quod sanè in pluribus alijs animalibus non accidit, vt potè oculos puros habentibus, statimque aspicientibus ea omnia visibilia, quæ in diaphano sunt. Sic igitur etiam organum odoratus alijs quidem sine operculo est, vt oculus, in animalibus vero respirantibus habet quoddam operculũ, quod aperiri necesse est ampliatis venis, & poris, meatibusque per inspirationem aeris distentis; & hæc eadem ratio est, cur respirantia in aqua non odorent, quia scilicet in aqua

aer inspirari non potest, in humido enim, vt inquit Arist. id facere impossibile est, atque hæc de medio olfactus;

Sed alia difficultas se offert circa eundem olfactum vtrum odor realiter sit in medio, an verò intentionaliter? & quidem reperiri realiter in medio odorē videtur primo colligi ex Arist. in problem. sect. 13. problem. 5. vbi quærens rationem, quarè male olidæ res grauiùs oleant, cum calent, quam cum frigent, vt verbi gratia, flantibus austris, eaque ratione pluuiæ esse solent signum. Respondet odoris naturam esse vaporem & effluxum corporis, & cum calidum commoueat, & amplificet, frigus verò contrahat, & inferat torporem, fit vt à calore vapor ille fætidus excitetur, qui olim a frigore erat effectus immobilis. ergò odor semper videtur esse cum corpore, eique affixus, quod idem etiam videtur approbasse Gal. lib. instr. nec non Auic. 6. natural. cap. 5. Deinde corpora non nulla odorifera nisi atterantur non odorant, id autem non alia ratione accidit, nisi quia ex illa attritione fumosa & bene olens exalatio eleuatur. quarè in medio realiter odores sunt, non autem intentionaliter.

Tertio, quidquid recipitur per modum re-

recipien-

cipientis recipitur, vt commune est axioma. At aer & aqua quæ sunt odoris media sunt realia. ergò etiam odores in ijsdem medijs realiter reperiri affirmandum est.

Quarto, experientia constat, quod perceptio odoris excludatur, & impediatur à vento, quod tamen minimè accideret si intentionaliter esset in medio, sicuti in visione manifestum apparet, quæ à ventis non impeditur, cum fiat spiritualiter, & species obiectorum visibilium intentionaliter per medium proficiscantur ad oculum.

Postremò odor multiplicat se per medium successiuè, & in tempore, quod sane non esset, si spiritualiter esset in medio, nam si spiritualiter mouerentur odores vel intentionaliter vt dici solet, in instanti pariter olfactus exerceretur, vt in visione accidit.

Fuit sane nonnullorum opinio, quod odores non intentionaliter sed realiter, siuè corporaliter per medium moueantur; nimirum quia multa corpora non sunt odorabilia, nisi prius aliquo modo ipsorum partes resoluantur, & benè olentes vapores calidi & sicci emittantur à corpore odorabili, quæ sanè resolutio non nisi realiter & corporaliter esse potest. Nihilominus communis sententia est

etiam intentionaliter odores in medio reperiri, vt inter cæteros docet Auerr. 2. de anima, cap. 10. Et quod etiam intentionaliter per media progrediantur odores colligitur manifestè ab experientia vulturum, quę quidem animalia odores percipiunt ex locis distantibus etiā per quingenta milliaria, vt etiam faciunt tygres, quæ odores etiā distantissimos percipiunt: quod tamen accidere non posset nisi odor etiā intentionaliter progrederetur, cum impossibile sit, quod odor siue fumosa euaporatio, in qua consistit odoris qualitas corporaliter ad loca tam distantia, & tam longinqua deferatur.

Neque obstant, quæ in contrarium afferebantur; nam etsi Arist. in poblemat. odorem effluxum corporis esse dicat, nihilominus non negat etiam intentionaliter odores progredi: fluunt enim odores primariò corporaliter, deinde verò desinente vapore, vel quiescente intentionaliter transmittuntur.

Neque etiā obstat quod odores per aquam vel aerem recipiantur, quæ corporea sunt, nam etsi hæc duo elementa sint corpora, etiam intentionaliter odores recipere possunt, & tanquam media olfactui inseruire, vt in visione etiam clarum apparet, colores

etenim

etenim visiuæ potentiæ obiecta intentionaliter, non verò materialiter in aere medio reperiuntur, sicuti & sonus.

Tertio, si odores intentionaliter mouerentur, sequeretur quod à ventis prohiberi non valerent, sicuti in coloribus accidit, quorum motus in medio etiam flante fortissimo borea nequaquam impeditur. Sed respondetur, diuersa ratione moueri odores à coloribus, nam colorum species intentionales immediatè ex obiecto colorato fluunt ad organa visus: at odores è contra ex obiecto odorato primum corporaliter fluunt, atque fumosis exalationibus inhærendo ex eodem obiecto emanatis, quibus fumosis exalationibus postea in medio moueri cessantibus, odores solum feruntur spiritualiter. Et hac ratione odores in medio à ventis prohibentur, in quantum corporaliter etiam progrediuntur. sicuti hæc etiam ratio est cur olfactus in instanti non fiat, sicuti & visio, nimirum, quia odor primò ex obiecto odorato non mouetur intentionaliter sed realiter, & in materia vaporosa existens.

ex eo, quia hæc tunica eſt eadem cum membrana veſtiente linguam, palatum, & reliquas oris partes, vnde ſenſus olfactus in his etiam partibus exerceretur, ſi tunica eſſet inſtrumentum olfactus.

Præterea ſi olfactus in naſo fieret, ad olfaciendum reſpiratione haud indigeremus, nam alitus odoriferi ex ſe ipſis intra naſum inſinuantur: & nihilominus ad olfaciendum reſpiratione maximè indigemus, vt Ariſtot. lib. dicto de ſenſ. & ſenſil. docet, idque nulla alia ratione contingit, niſi quia aliquis alius eſt locus, in quo tanquam in proprio organo ipſe olfactus exercetur: nempe pars cerebri anterior, ad quam partem alitus odoriferi non niſi reſpiratione tracti peruenire poſſunt.

Et denique ſenſu ipſo patet ex odoribus caput valdè impleri, ipſæq. Galen. teſtatur, quemdam ex odoratu nigellæ manifeſtè ſenſiſſe mordicationem in intimo capitis. Inſpiratione ſiquidem mediante ſenſiuntur odores, & ad hanc operationem etiam ventriculi anteriores cerebri concurrunt; ſiquidem dum aeris fit attractio, cerebri ſubſtantia conſtringitur, meatus & ventriculi cerebri dilatantur, & odores ibidem percipiuntur: cum autem

autem è contra fit expiratio siuè aeris attracti expulsio, substantia cerebri relaxatur, atque fuligines cerebri per eundem nasum emittuntur; nam vt etiam experientia,& sensu constat, hunc motum partes cerebri anteriores maximè habent, vt in tenellis puerulis manifestè conspicitur, in quibus super suturam coronalem veluti pulsatio cerebri animaduertitur, & mediante hac inspiratione, quam cerebri vẽtriculi, exercent olfactus celebratur, atque odores percipiuntur. & sic cum Gal. odoratus organum pars cerebri anterior est. Cui sententiæ fauet etiam Hipp. in libello de carnibus, & Vessalius lib. 1. cap. 6. suæ anatomiæ, vbi processus quosdam cerebri, qui mammillares appellantur, ait esse instrumentum atque organum olfactus.

His tamen omnibus non obstantibus Valles. lib. dicto 2. controuers. med. & philosoph. cap. 24. ex professò olfactus instrumentum negat esse cerebrum, & pluribus contendit esse nasum, nam cerebrum ex Gal. 3. de caus. sympth. organum non sensiens appellatur; organum inquam non sensiens, quia cum sit cunctorum sensuum causa & origo, omnium etiam & singulorum sit expers necesse est, quarè cum cerebrum vniuersaliter non sen-

siat,

fiat, neque etiam poteſt eſſe inſtrumentum olfactus.

Præterea vbi adeſt voluptas & dolor, ibi etiam inſtrumentum ſenſus reperitur, ſed voluptas odorum intra naſum percipitur, ergò naſus eſt inſtrumentum proprium odoratus, ſiuè tunica eiuſdem naſi interior, vt à principio dicebatur.

Neque obſtant, quæ ſuperiùs ex Gal. in contrarium afferebantur, inquit Valleſius, nam quamuis tunica intra naſum eadem ſit cum tunica linguam veſtiente, ſentit tamen odores naſus, minimè verò lingua, quia facultas olfactiua eſt intra naſum, non autem in lingua, & alio etiam temperamento naſus præditus eſt, alio verò lingua.

Neque pariter obſtat quod olfactus in hominibus ſine reſpiratione eſſe non valet, nam id accidit non quia inſtrumentum olfactus ſit cerebrum, ſed quia in profundioribus naſi partibus reperitur, non autem in extimis, & ad illas partes alitus odoriferi non feruntur niſi reſpiratione mediante; & hinc pariter eſt, quod iiſdem partibus obſtructis odoratus minimè exercetur, vt experientia quoque patet.

Inſuper caput ex odoribus repletur, & graue euadit ſicut Hipp. 5. aphor. 28. docet:

atque

atque nigellæ odoratu aliquem intra cerebrũ mordicationem ſenſiſſe, inquit Gal. Sed reſpondetur vtique caput impleri, & graue fieri ex vaporibus odoriferis, at vapores ijdẽ, quatenus odoriferi ſunt in naſo, aut intra naſum percipiuntur, ac ſenſiuntur.

Neque obſtat poſtremò, quod in parte anteriore cerebrum quodammodo reſpiret; id enim efficitur ex cerebro, non vt eſt inſtrumentum olfactus, ſed quia dilatatione cerebri, ſiuè reſpiratione aer trahitur, quo ſpiritus animales nutriuntur, atque recreantur. & ſic naſus organum olfactus eſt, non verò cerebrum.

Sed Plato, dicet aliquis, in dialogo de natura, odores vniuerſam illam regionem interius attingere ait, quæ eſt à capite vſque ad vmbilicum; ergò odoratus inſtrumentum ſiue organum non eſt tantummodo naſus.

Reſpõdet Valleſius vtique alijs etiam partibus communicari odores, non autem ſoli naſo, & ſaltem ad illas vſque partes pertingere odores, ad quas reſpiratio pertingit: attamen vt odores ſunt intra naſum tantummodo velut in organo ſenſiuntur, & olfactu in eodem naſo priùs exercito, communicantur poſteà etiam alijs partibus.

D I-

DISPVTATIO XXI.

CIrca odorem alia quæstio diluenda occurrit, vtrum scilicet odor nutriat, nec ne? Nam Pytthagorici corpus odoribus maximè ali posse asseuerarunt. Hipp. in lib. de alimento (quibus inquit celeri additione opus est per humidum, quibus etiam adhuc celeriori per odorem facienda est). Quare nutrit odor, cum Hipp. eo loco de vera refectione loquatur, qua mediante partes iam tabescentes resarciendæ sunt. Gal. etiam 2. aphor. tex. com. 11. (odores, inquit, oblectant, defendũt, implent, placant) si verò implent ex Gal. odores, ergò etiam nutriunt, cum repletionem præcedentem nutritio postulet. Et quoniam implent odores, atque nutriunt, hinc etiam est, quod medici senibus, & imbecillitate vẽtriculi laborantibus alimenta odorata exhibent, sed quid plura? Vinum odoratum spiritus refecit & vires restaurat, nulla alia ratione, nisi quia odor maximè nutrit. Vnde Apponensis diff. 115. In odore inquit aliquid est, quod vim formæ sustineat, quod est sensus obiectum, aliud autem, quod est materia, nempe exalatio cui species odoris affixa

 est,

eſt, quæ per aerem fertur,& cum ſpiritu ducitur: itaque per aſperam arteriam in pulmonem & cor influit, hinc per aortam in plexum retifomem primum,inde in cerebrũ, quibus veluti focis concocta reſtaurat ſpiritus. Concocta, inquit Apponenſis, quia nimirum illa nutritio per odores celebretur, quæ præcedentem concoctionem requirit. quarè odores vtique nutriunt, vt etiam Democritus exemplo docuit, qui odore calidi panis vitam per quatriduum prorogauit. atque Aſtomorum gens refert Plin. lib. 7. cap. 2. ſolo panis odore viuebat. & hanc ſententiam, quod nutriant odores inter cæteros ex recentioribus Manardus epiſt. 6. lib. 19. acerrimè defendit.

Ex altera verò parte ex Gal. 2. aphor. tex. com. 11. nutritio celerrima per humidũ fit, neque tamen quodcumque ſed quod ſit alimentum atque potabile. odor autem eſt halitus cum Ariſt. & veluti quidam fumus, hoc eſt ſubſtantia tenuis ignea. Vndè per odorem celeris nutritio non fit, & per conſequens odores non nutriunt.

Secundò Hipp. 5. de morb. & Ariſt. 3. de part. animal. omne id, quod futurum eſt alimentum neceſſe eſt, inquiunt, vt in ventrem dela-

delabatur, saltem in inferiorē, si non in superiorem, siquidem nutritio etiam per clysteres exerceri potest, vt medici communiter asserunt. nullus autem reperitur meatus, quo mediante ea quæ per arteriam sumuntur in ventrem defluant. quare odores non nutriũt, cum etiam ex Gal. 3. de temperam. quod futurum est nutrimentum in ventre hepate & venis fit prius oportet, quod de odoribus affirmari non potest.

Non obstant autem quæ in contrarium afferuntur, nam quoad Hipp. in lib. de alim. vbi celeris additio facienda est per humidũ, quibus celerrima per odorem; non quidem dixerim ita locutum fuisse Hipp. quia odores quatenus sunt qualitates nutrire voluerit; sed quia vbi celeri additione opus est per odorem, hoc est per alimenta odorata nutritio facienda est; nam huiuscemodi alimenta tanquam tenuiora, citius atque celerrimè meatus transeunt, nutriuntque.

Implent etiam ex Gal. odores, non quidem vt qualitates sunt, verum vt in materia sunt; siquidem alimēta odorata fouent partes quæ sunt nutriendæ, & in ijsdem nutritionis causa sunt necnon etiam augmentationis: ideoque senibus & frigida ventriculi intemperie labo-

rantibus talia alimenta propinantur; nimirũ vt dicebamus, quia odorata alimenta tãquam calida & ignea, calorem innatum fouent, restaurant, atque intemperiem frigidam ibidem existentem profligant; odores igitur in materia, non autem vt qualitates sunt nutriunt.

Vinum odoratum præterea vires reficit esto, sed aliud est reficere, aliud verò nutrire, nam vinum vt calidum est reficit, non autem nutrit, quando illo solum vtimur ad odoratum, vel ad olfactum. Vel reficit vinum atque nutrit per accidens & impropriè, non autem per se, & propriè: per accidens inquam, quia olfactu vini, calor naturalis refocillatur, refocillatus verò nutritionem perfectiùs exercet:

Quod verò ex Apponense diff. 115. asserebatur, à medicis tamquam impossibile reputatur, & vanum, nam si odores per asperam arteriam primũ, deinde ad pulmones & cor, & post per aortam in plexum retisomem, & postremò in cerebrum colligerentur, ibique cõcocti restaurarẽt spiritus, sequeretur quod restauratio, atque ex odoribus refocillatio non esset celer, sed valde tarda, quod tamen experientia falsum est; illicò enim restaurant

olfacti

olfacti odores, atque spiritus refocillant. & amplius, si ea quæ à Conciliatore asseruntur vera essent, non tamen ex illis colligeretur, quod odores vt qualitates sunt nutriant, sed solum quod nutriant quatenus sunt in materia, siuè substantia. Qua eadem ratione odor panis recentis & calidi Democrito vitam prorogauit inquit Alex. 1. probl. 68. & gens Astomorum, quam refert Plin. viuebant solo odore, hoc est alimentis tantũmodo odoratis. Atque ita quidquid etiam Pytthagorici dicant per se & propriè odores minimè nutriunt, vt qualitas sunt, sed per accidens, & impropriè & quatenus in materia, vel in substantia aliqua alimentali reperiuntur.

DISPVTATIO XXXII.

POst explicatos sensus, visus, auditus, olfactus, ad gustum Aristot. se confert, & tex. 101. (gustabile autem inquit tangibile quoddam est) contra quam conclusionem sic fortasse aliquis insurget. Si gustabile tangibile quoddam esset. ergo gustus etiam quidam tactus esset, & per consequens quatuor sensus modò darentur, non autem quinque sæpiùs enarrati, cum potentia gustatiua ad

tactum ipsum referri possit.

Respondetur tamen breuiter, & si gustus sit quidam tactus, nihilominus differt aliquo modo à tactu, differt ego dicerem vt particulare ab vniuersali, nam verè in gustu tactus reperitur, non tamen tactus quilibet gustus est, sed omnis gustus est tactus quidam, vt benè in contex. Arist. loquitur.

Sed insuper insurges Arist. inferius contex. 103. est autem inquit, commune tactus & gustus potabile. quarè gustus & tactus inter se minimè differunt, vt superiùs etiam arguebatur.

Respondetur vtique potabile commune gustui & tactui esse, at diuerso modo. quia gustui inseruit potabile, vt delectabile est & dulce, vel amarum, tactui verò tanquam obiectum tangibile & calidum, vel frigidum. Commune est etiam potabile tactui & gustui, quia gustus obiectum suum gustare non valet, nisi prius tangatur, prius enim præsupponitur contactus obiecti gustabilis, deinde verò saporis apprehensio. atque ita & si gustus & tactus simul & semel operentur circa idem obiectum, gustus tamen per se, tactus autem per accidens gustabile, vt gustabile est sentit; sentit enim solum vt est sensi-

bile,

bile,vel tangibile. Guſtabile igitur quoddam tangibile eſt,vt dicebatur. & hæc eſt cauſa cur obiectum guſtabile non ſit ſenſibile per medium extraneum, vt ſubdit ibidem Ariſt. Nimirum ad hoc vt ſenſus ſentiant duo media requiruntur, nempè extrinſecum & intrinſecum, vt in viſione, exempli gratia, extrinſecum medium eſt aer, & qui intercedit inter oculum, & obiectum viſibile; medium verò intrinſecum ſunt humores illi, qui intra oculum reperiuntur, & obiectorum ſpecies intentionales recipere ſolent: & idem accidit in alijs ſenſationibus auditus, & olfactus,qui ſimiliter in ſuis operationibus perficiendis vtuntur medijs extrinſeco & intrinſeco, non ſic autem in ſenſu tactus, qui ſolum vtitur medio intrinſeco, & requirit obiectũ tangibile ſibi coniungi immediate. quarè cũ guſtus ſit quidam tactus ex Ariſtot. & guſtabile ſit quoddam tangibile, neque etiam guſtus extrinſeco medio eget ad ſui operationem.

Cum autem guſtus extrinſeco medio non indigeat ad ſapores percipiendos vlterius quæritur, vtrum ſaltem indigeat medio intrinſeco? vtrum nempè aliquod medium aſſignari valeat, quod guſtus operationi in-

trinsecè seruiat: nam visus medium intrinsecum superiùs cum Aristot.dicebamus esse humores intra oculos existentes, auditus aerem in tympano inclusum,& sic de alijs.gustus ergò quod nam est medium? & quidem sensibile supra sensum positum non facit sensationem, vt docet Arist. quarè aliquod medium assignandũ est. Hanc sanè partem nihil aliud exercere valet, nisi ipsa caro linguæ; nam idem Arist. contex. 116. carnem ad sensum tactum, & linguam ad sensum gustus eodem modo se habere docet, quo se habent aer, & aqua ad sensum visus & auditus, quid clarius? Lingua igitur aut ipsius linguæ caro est medium gustus.

Atque hæc de medio, sed instrumentum siue organum eiusdem gustus quod nam erit? Auerr. sect. 4. coll. cap. 14. quem sequitur Fernelius Medicus lib.1. de partium humani corporis descript.cap.8. in fine, docet organum gustus esse neruos intra linguam existẽtes,& præsertim neruos illos, qui in cuspide linguæ reperiuntur. Verum si nerui in cuspide linguæ existentes organum gustatiuæ potentiæ sunt.ergò sequitur quod gustus instrumentum siuè organum est siccum,cum nerui sicci,vel sicca temperie prediti sint, & tamen

Arist.

Arist. contex. 104. lib. 2. de anima ſicca exiſtente lingua ſapores non ſentiri docet.

Reſpondetur potentias & obiecta inter ſe contraria aliquo modo eſſe debere ad hoc vt fiant ſenſationes, ſentire enim quoddam pati eſt, vt in ſuperioribus audiſtis, & paſſio nonniſi inter contraria exercetur, atque ſpecialiter etiam linguam ſicciori craſi præditam eſſe debere, ad hoc vt ſapores ſentiat; Vnde etiam Arist. in tex. 103. eiuſdem libri, potabile ait eſt guſtus obiectum, potabile inquam hoc eſt humidum, quia nerui eiuſdem potentiæ organa ſunt natura ſua ſicci. Quare organum guſtus ſiccum eſſe debet, at minimè in exceſſu ſiccum, cum deſtillata multa pituita à capite in linguam guſtatio non fiat perfectè, ſed deprauatè, vel diminutè ſicuti experientia patet.

(Et corpus autem in quo eſt ſapor eſt tangibile in humido, vt in materia. hoc autem tangibile quoddam eſt) ſunt alia verba Arist. in contex. 101. Nempè ſuperius Ariſtot. guſtabile, tangibile eſſe dixerat, & guſtum eſſe tactum, ideoque medio non indigere extrinſeco ſicuti tactus tali medio non opus habet. Hanc verò concluſionem intendens probare Arist. corpus, inquit, in quo ſubiectatur ſapor,

por, idest corpus gustabile humidum est. Humidum verò est tangibile, ac proinde etiam gustabile, cũ per humidũ gustetur quod tangibile est. & quod humidum sit tangibile constat ex eodem Arist. in 4. meteorolog. vbi calidum frigidum, humidum, siccum dicuntur esse qualitates tangibiles.

Sed contra hanc conclusionem dicet aliquis. Si omne gustabile in humido subiectatur, sequitur, quod humida solum gustabilia sunt, & tamen multa sicca dantur, quæ sensu gustus percipiuntur, cuiusmodi sal, exempli gratia, piper, & alia huiusmodi.

Respõdetur sal & piper tametsi in prædominio sicca sint, nihilominus aliquid humiditatis etiam in se habent, qua mediante gustantur; nam sal liquescit & humidum fit cum gustatur, vnde inferius Aristot. contex. 111. sal gustari minimè valet, nisi vt humidum. humida scilicet vel actu vel potestate esse debent quæcumque gustabilia sunt, nam saporis subiectum & veluti vehiculum est humiditas; quamuis formalis sapor gustum efficiens in sicco potius cõsistat: vnde etiam magis humida insipida sunt, & quæ sunt sapida sunt minus humida, magisque sicca.

Sed dices iterum: si gustabile tactu sentitur,

tur, quia in humido est & humidum tangitur, vt inquit Aristot. sequitur quod etiam sonus, & lumen, & similia quæ in aere sunt, sint tangibilia, cum sint in aere & aer tangatur; & tamen nullus dicet (tango lumen tango sonum) sed lumen video, sonum audio.

Respondetur, tangitur quidem aer, & nemini dubium est, sed diuersa ratio est gustabilis prout in humido reperitur, atque diuersa soni, & luminis prout sunt in aere, nam gustabile cum humido realiter miscetur; lumen autem & sonus non miscentur cum aere realiter sed intentionaliter, & humidum, in quo est gustabile ad hoc vt tangatur, vel à sensu percipiatur necesse est, vt sensum eiusque organum realiter moueat, lumen autem non mouet aerem, nec realiter cum illo miscetur, cum visio fiat per intus susceptionem specierum intentionalium, quæ tamen species non miscentur, cum sint intentionales. Contra verò gustabile est quid reale, & materiale, & cum humido realiter miscetur, atque mouetur sapor sine humido, cum tamen species intentionales visibiles, vel audibiles ferantur ab obiectis ad organa sensuum absque aeris motu. & sic gustabile in humido est siue subiectatur, vt asserit Arist.

DI-

DISPVTATIO XXXIII.

POst ſenſus viſus, olfactus, auditus, guſtus, tandem Ariſt. ad ſenſum tactus ſe transfert, & tex. 106. ſic loquitur (De tangibili autem, & tactu eadem ratio: ſi enim tactus non vnus eſt ſenſus, ſed plures, neceſſarium eſt & tangibilia ſenſibilia plura eſſe. Habet autem dubitationem, vtrum plures ſunt an vnus: & quid eſt ſenſorium tangibilis vtrum caro, & in alijs proportionale: an non ſed hoc quidem eſt medium, primum autem ſenſorium aliud quiddam eſt intus.) Acturus nempe Ariſtot. de ſenſu tactus, duas primò mouet quæſtiones.

Nempè, vtrum ſenſus tactus ſit vnus ſenſus, an verò plures; ſecundò quodnam ſit ſenſorium ſiue organum ſenſus tactus? & quoad primam dubitationem videtur, inquit, quod non vnus, ſed plures ſenſus ſint ipſe tactus. Nimirum quia vnus ſenſus vnius tantũ contrarietatis eſt, vtputa viſus nigri & albi (cæteri enim colores ad nigrum & album reducuntur omnes) auditus grauis & acuti, guſtus amari & dulcis, & ſic de ſingulis. Tactus autẽ plurium contrarietatum eſt, & plurium ſenſi-

sensibilium inter se maximè aduersantium, nempè plura tangibilia secūdum plures modos inter se contraria tangit, atque ideò tactus non vnus est sensus sed plures.

Quod autem plurium contrarietatum sit sensus tactus res est clarissima, inquit Arist. paulo inferiùs, nam tactus calidi est, frigidi, humidi, sicci, duri, mollis, & aliorum similium.

Verum ex altera parte ratio hæc, vt inquit Arist. posset dicere aliquis, nequaquam valet ad probandum quod tactus sit plures sensus, nam etiam alii sensus plures habent contrarietates, & tamen plures affirmari non possunt. vt sonus, exempli gratia, non solum est acutus vel grauis, sed etiam magnus & paruus, leuis & asper, & aliarum similium contrarietatum, ac tamen auditus sensus non sunt plures, sed vnus.

Quarè Aristot. in hac re de sensu tactus, vtrum sit vnus an plures valdè incertus videtur. & dubitat, inquit Iandunus quæst. 27. 2. de anima circa decisionem præsentis dubitationis Arist.

Verum enim verò plures ne sunt sensus tactus, an vero vnus? Commentatores communiter & inter cæteros Ioannes Grammaticus,

ticus, Sanctus Thomas, Aegydius, ſenſus tactus, inquiunt, conſiderari poteſt formaliter,& materialiter: ſcilicet conſiderari poteſt ſenſus tactus iuxta formas tangibilium, quæ calidæ ſunt frigidæ humidæ ſiccæ,duræ molles,atque hac ratione conſideratus ſenſus tactus non vnus, ſed plures ſenſus dici valet, cum plures etiam ſint tangibilium formæ iam recenſitæ.

Neque obſtat quod idem Ariſt. vt iam audiuiſtis in contrarium attulit, nempè contrarietatem hanc formarum ſenſibilium etiam in alijs ſenſibus reperiri, ſcilicet in ſono & viſu,quia ſonus grauis & acutus dicitur, magnus & paruus. nam alio modo differunt calor,& frigus à ſicco & humido, quam grauis & acutus à magno & paruo; etenim calor frigus ſiccitas, & humiditas differunt inter ſe differentia generica, ſiue primi generis, magnum verò & paruum ab acuto & graui nequaquã differentia primi generis differunt, cum paruum & magnum ad acutum & graue reduci valeant tanquam ad genus principale, ad calidum verò & frigidum humidum & ſiccum nequaquam reduci poſſunt. & ſic formaliter vt dicebatur ſenſus tactus ſunt plures ſenſus, cum plura tangibilia diuerſarumque formarum,

rum, atque primæ contrarietatis sentire valeat. Prætereà licet grauis, & acutus, magnus & paruus inter se quodammodo differant, attamen ad vnũ tantummodo genus reducuntur, nempè ad sonum; sicuti etiam colores sunt specie plures, genere autem vnus: quod affirmari de tangibilibus minimè valet, cum tangibile vnius tantum generis non sit, sed plurium: tanguntur enim frigidum calidum humidum, & siccum eæque sunt diuersi generis contrariæ qualitates, quare formaliter consideratus sensus tactus plures sensus dici potest.

Potest etiam considerari sensus tactus materialiter, nempè prout in organo, atque vbi tactus operatio celebratur, & ita vnus est sensus tactus, non vero plures; nam sensus tactus instrumentum siue organum neruus vnus est.

Sed dicet aliquis solus neruus organum tactus affirmari non potest, at caro potiùs, quia sensibile supra carnem positum statim atque tangitur etiam percipitur.

Respondetur, quod ipsemet Aristot. paulò inferius responsum exhibet, non quia inquiens, tãgibile statim atque supra carnem ponitur sentitur, quod eadem caro sensus ta-

ctus organum sit etiam sequitur: nam posita etiam supra carnem pelle aliqua tenuiori, pelle arietina, vt inquit Arist. statim atque à tangibili aliquo pellis dicta tangitur etiam sentitur, ac tamen pellis dicta arietina organum tactus affirmari non potest sed mediũ, sicuti caro medium quoddam est inter organum proprium videlicet neruum, atque tangibile.

DISPVTATIO XXIV.

Dubitabit autem aliquis, si omne corpus profundum habet,hoc autem est tertia magnitudo, quorum autem corporum medium est aliquod corpus non contingit ipsa se inuicem tangere,humidum autem non est sine corpore, neque vdum, sed necesse est aquam esse,aut habere aquam,quæ verò tangunt se inuicem in aqua cum extrema sicca non sint, necesse est aquam habere mediam, qua repleta sunt vltima: si autem hoc verum impossibile est tangere aliud aliud in aqua. eodem modo & in aere.hæc sunt verba Arist. in contex.113.) si nempè meministis in calce præteritæ disputationis, tametsi tacta carne tangibile sentiatur, nihilominus dicebamus

carnem

carnem non esse organum tactus, sed medicnm quoddam connaturale, & eundem locū habere carnem in sensu tactus, quem habet aer in sensibus auditus, visus,& olfactus. Sed aer dicet aliquis non est medium sicuti caro, quia caro est medium intrinsecum,aer autem extrinsecum: nempe intrinsecum medium est pars corporis sentientis, extrinsecum verò è contra substantiam corporis minimè ingreditur,vt aer & aqua sunt.

Vtrum igitur cum prædicto medio extrinseco sentiat sensus tactus dubitat superioribus Arist. nam sensum tactus extrinseco medio non indigere ad suas exercendas operationes clarè videtur probari,ex eo quia si sensus tactus cum medio extrinseco fieret,sensus tactus non esset sensus tactus, quod tamen falsissimum est. nam sensus tactus in tantum sensus tactus appellatur in quantum suum tangibile tangendo cognoscit. si ergò medio extrinseco interposito inter ipsum atque tangibile operaretur, tangendo quidem minimè sentiret, nam tangentia illa sunt, quorum non est medium, vt patet ex Aristot. 5. Phys. contex.22.

Secundò, si tactus extrinseco medio indigeret, tunc tangibile positum supra carnem

non efficeret tactum contra ea, quæ habet Arist. in superioribus.

Tertiò, si sensus tactus fieret cum medio extrinseco, sensus tactus haberet plura media ad sentiendum. ergo etiam alij sensus pluribus, diuersisque medijs indigerent pro suis sensationibus, quod tamen falsum est: nam sonus alio medio non vtitur nisi aere, & sic visus, &c.

Sed breuiter, sensum tactus cum extrinseco aliquo medio celebrari Aristot. clarissimè docet, quia omnia corpora tangibilia vel in aere vel in aqua sunt. Impossibile est autem, inquit Arist. quod mixta se inuicem tangentia in aqua non habeant pro medio extrinseco ipsam aquam in superficie ipsorũ existentem, sicuti etiam in aere existentia extrinsecum medium habent ipsum aerem intermedium & sic per Arist. sensus tactus præter medium intrinsecum etiam extrinsecum habet ad hoc vt sentiat, vel tangibile tangat.

Non obstant autem quæ in contrarium afferebantur, & primò si sensus tactus extrinseco medio vteretur, sensus tactus non esset, cum illa per Arist. tangi dicantur inter quæ nullum est medium. Respondetur negando sequelam, nam medium tactui inseruiens

tactum

tactum auferre non potest, & cum Arist. ea tangi asserebat inter quæ non datur mediũ, de illo medio intellexit quod tactum prohibet, non autem de illo, quod ad tactum disponit. & aliud prætereà tangi est, aliud verò sentire tangibile, quia lapides, exempli gratia, tanguntur, non tamen per tactum percipiunt tangibile.

Ad secundum etsi tangibile positum supra carnem ab aere immediatè tangatur tãquam medio, nihilominus etiam sensus tactus operatur, & in parte sentiente percipit.

Tertiò si tactus haberet medium extrinsecum, ergò ad sentiendum pluribus medijs vteretur. Respondetur pluribus medijs proprijs & per se negatur, siquidem caro solum per se est medium, aer verò per accidens, in quantum non potest dari tangibile in aere existens quod in extremis aerem non contineat, sicut & in aqua degentium extrema semper aliquid aquæ retinent. & sic tactus etiam mediò aliquo extrinseco vtitur.

Sed iterum sic arguet aliquis, Aristot. supe-periùs in contex. 101. cap. 6. gustabile, inquit, tangibile quoddam est, & hæc etiam est causa, cur non sit sensibile per medium extraneum corpus, ergò tactus non celebratur per

medium extraneum corpus.

Respondetur etiam, tactum minimè quidem celebrari per medium extraneum corpus, quemadmodum alij sensus operantur, & præsertim visus, qui per medium intentionaliter exercetur, tactus autem & gustus minimè intentionaliter procedendo species gustabiles, at substantialiter operantur.

Si tactus, dicet postremò aliquis extrinseco medio vtitur; nempè aere vel aqua, sequeretur etiam, quod neque aerem, neque aquam circa nos existentes tangendo sentire vel cognoscere valeremus, ac tamen si corpus nudum aeri exponatur aer ambiens maximè percipitur, sicuti si in aqua immergatur.

Nonnulli argumentum hoc propositum putant benè concludere, quod tactus non omnia sensibilia percipiat extrinseco medio existente. nam quædam solummodo tangibilia vt solida, exempli gratia, aerem vel aquã pro medio extrinseco requirunt (hæc etenim immediatè carnem tangere minimè valent, sed mediante aqua vel aere) quæ autem immediatè carnem tangere valent, immediatè pariter, & absque vllo medio extrinseco à sẽsu tactus percipiuntur: sic inquam nonnulli putant.

putant. Verum Auerr. aliter loquitur, & omnem tactum cuiuscumque tangibilis medium extrinsecum requirere ait. Neque verum est, inquit idem Auerr. quod aer semper sentiatur; namque aer in dispositione, & simplicitate naturali constitutus secũdum quod est locus naturalis animalis ab eodem animali non sentitur, sicuti nec etiam aqua: ratio est inquit ipse, quoniam sensibile est contrarium (vnde & sentire est quoddam pati, vt in superioribus Arist. ait) aer autem in optima dispositione naturali constitutus nequaquam nobis contrarius affirmari potest, cum naturaliter in eodem degamus atque viuamus. Non inquam aer neque aqua sentiuntur in statu naturali posita, sed aer vel aqua in statu præternaturali; & cum aer vel aqua sentiuntur nonnaturalia, sentiuntur mediantibus aere vel aqua in statu naturali existentibus: namque aer ille qui dicitur medium extrinsecum tactus, ille aer præcipuè est, qui in superficie sentientis corporis reperitur, quique semper magis naturalis est, quam aer alius magis remotus, & sic etiam de aqua affirmandum est.

DISPVTATIO XXXV.

APpoſita enim ſuper ſenſorium non ſentiunt, ſuper carnem autem appoſita ſentit, quare medium tactui caro eſt) Hæc habet Ariſtot. in calce tex. 116. 2. de anima. Dixerat enim ſuperius carnem eſſe medium tactus, organum verò proprium eſſe neruum, idque pluribus etiam argumentis probarat; nunc autem in præſenti text. eidem probationi inſiſtendo aliam rationem affert. nimirum appoſito ſenſibili, inquit, ſuper ſenſum, non ſentit. ſed appoſito ſenſibili ſuper carnem ſtatim fit ſenſus. ergò caro non eſt organum tactus, ſiquidem non ſentiret, neque fieret ſenſus tactus ex appoſitione ſenſibilis ſuper carnem.

Contra hanc verò Ariſtot. concluſionem ſic fortaſſe aliquis dubitabit; impugnando non eſſe verum, quod ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non faciat ſenſationem: nam è contra experientia conſtat quod ſecto neruo, vtique ab eodem neruo ipſius inciſio ſentitur, & nihilominus organum ſenſus neruus ipſe eſt.

Secundò agens naturale quantò propinquius

quius est passo tā ò perfectius agit, vt in igne clarum est, & in alijs omnibus. At sensibile agens est. ergò quanto magis organo sensus adhæserit tanto magis etiam à sensu tactus percipietur.

Tertiò aer illuminatus supra visum positus facit videre. sed aer illuminatus sensibile quoddam est. ergò sensibile positum supra sensum, sensationem maximè facit.

Sed his non obstantibus, sensibile positum supra sensum sensationem non facere verissimum est, & præterquam quod communis sententta ita tenet, id etiam experientia confirmat; cum sensibile positum supra oculum ab eodem oculo minimè videatur; & eadem ratione posito audibili supra organum auditus neque etiam audiatur, & sic de alijs. Ratio autem, inquit Auerr. in comm. cur sensibile corporale immediatè positum supra organum non facit sensationem, est quia natura non procedit ab vno dissimilium ad alterum valdè dissimile nisi per medium: sicuti mobile etiam localiter de vno vbi ad aliud vbi simpliciter oppositum non mouetur nisi pèr medium, & non nisi inter contraria & per medium potest fieri motus; cum ergò sensibile & sensus inter se contraria sint per Arist.

& sentire sit quoddam pati vt sępius diximus, rectè dicitur quod apposita super sensorium non faciunt sensationem.

Ad argumenta verò quæ superius in contrarium allata fuere sic respondetur. & primò ad experientiam quod secto neruo cum gladio, exempli gratia, neruus suam sectionem maximè sentit quamquam sensibile supra neruum immediatè positum reperiatur. Respondetur neruum sentire sectionem carnis non verò suam quia ante quam neruus scindatur, caro prius scinditur, neruus autem vt neruus est supra se ipsum corporale sensibile immediatè positum nequaquam sentit at carne mediante vt dicebamus.

Secundò obijciebatur quod agens naturale tanto magis agit, quanto magis ipsi passo propinquum fit. at sensibile agens naturale est; ergò sensibile positum supra sensum magis sentitur. Respondetur concedendo totum argumentum, nempè magis percipi à sensu sensibile, quanto magis idem sensibile sensui propinquum efficitur, sed cum debitis, & requisitis medijs; & de sensu tactus specialiter agendo mediante carne tanto magis sentit, quanto magis eidem neruo est propinquum sensibile, vt experientia patet, partes

enim

enim excarnes sunt magis sensitiuæ, quam nimis carnosæ, quia scilicet in illis sensibilia neruis & sensui magis etiam propinqua sunt, in his autem sunt magis remota.

Ad tertium argumentū respondetur, quod tametsi aer illuminatus supra oculum positus sentiatur atque conspiciatur, nihilominus diuersa ratio est tangibilis corporalis, & incorporei, & quando Arist. asserit quod sensibile supra sensum positum non sentitur, de sensibili corporale intelligit, non autem de intentionale & incorporeo quale est lumen.

Sed vlterius dicet aliquis Gal. 3. meth. 9. si neruus, inquit, instrumento aliquo lædatur conuulsiones fiunt, id verò nulla alia ratione potest contingere, nisi quia sentit neruus. Præterea lib. 1. de motu musculorum assignans differētiam inter neruum ligamentum, & tendinem, neruus ait sensibilis est, ligamentum non sentit, tendo autem quia participat de neruo & medium quid est inter ligamentum & neruum, non ex toto est insensibilis, ergò nerui immediatè sentiunt, vt in epilepticis etiam experientia patet, & in conuulsiuis motionibus, quæ aliquādo fiunt ex acri humore ventriculos cerebri vellicante, aut eorumdem membranas, quæ immediatè

diatè vellicationem dictam percipiunt.

Respondetur tamen aliud esse sentire, aliud verò pati, accidunt quidem conuulsiones ex nerui punctura, exempli gratia, attamen neruus immediatè non sentit, sed facultas expultrix, cuius officium est expellere noxia è corporibus, illa inquā est, quæ conuulsionem efficit, non autem sensus, vnde & absque vlla præcedente etiam sensatione conuulsiones sæpè apparent.

Vel si hæc responsio non plenè satisfacit, possumus admittere à punctione conuelli neruum, aut neruum sentire non tamen perfectiuè, sed corruptiuè, sentit enim quælibet pars sui corruptionem, quamquam perfectiuo sensu nō polleat, ita igitur & neruus suam corruptionem immediatè sentit, perfectiuè autem non. Vel etiam possumus dicere quod fiant conuulsiones à punctione nerui, sed punctio debet esse cum solutione continui: & discisso neruo ex eo fit conuulsio, quia nerui alligati sunt musculis, musculi autem partibus integrantibus, à quibus tanquam grauioribus in contrarium motus effectus conuulsio accidit, non autem quia nerui sentiant.

DI-

DISPVTATIO XXXVI.

OPortet autem vniuersaliter de omni sensu accipere, quod sensus est id quod est susceptiuum formarum sine materia, vt cera anuli, sine ferro & auro recipit signum, accipit autem aurum & aeneum signum, sed non in quantum aurum aut aes) Hæc habet Arist. in contex. 121. Postea quam enim determinauit in præcedentibus de sensibilibus secundum vnumquemque sensum, nunc de sensu ipso quasi in vniuersum, & secundum se agere incipit. & primo ipsum quid est sensus docet, sensus inquiens est id quod est susceptiuum formarum sine materia, vt cera anuli sine ferro & auro recipit signum: sic enim etiam sensus recipiendo species sine materia sentit, & sapor, exempli gratia, qui est sensibile gustus imprimit gustui species intentionales sine ipsa re sapida, & sic gustus recipit formam saporis sine materia, idem etiam efficit auditus circa sonum, & visus circa visibile, & sic de alijs.

Verum sensum sentire recipiendo formas sensibilium sine materia videtur, inquit Sanctus Thomas, commune cuilibet patienti, nõ

autem

autem sensibus proprium, nam omne patiens recipit aliquid ab agente secundũ quod est agens: agens autem agit per suam formam, non verò per suam materiam; atque ita omne patiens recipit formam sine materia, non autem solus sensus, vt Arist. ait.

Respondetur breuiter, quod etsi omne patiens à suo agente recipit formam sine materia, nihilominus sensus sensibilium formas recipiendo ab alijs differunt in modo recipiendi: nam agentia naturalia, vt ignis, exempli gratia, in aerem agendo, facit vt aer ignem recipiat, tam formaliter, quam materialiter: concurrit nimirum ad ignis actionem forma simul & materia eiusdem ignis, cum ignis forma non agat, nisi in materia existens: quãdo verò ignis agit in sensum non agit materialiter, sed intentionaliter siuè spiritualiter: nam quamuis ignis in medium sensus & in organũ agat materialiter, nempè in carnem, & in neruum, in sensum tamen ipsum solum agit formaliter, cum sensus sit quid dependens ab anima, & in se non recipiat nisi spirituale. Quod verò materialiter patitur hoc est à forma simul cum materia, est ipsum organum sensus, siue medium vt dicebamus, vt gustabile exempli gratia agit materialiter

in

in ipsam linguam & organum gustus, atque recipitur sola forma siue species obiecti gustabilis in ipso sensu. & sic sensus est receptiuum specierum sine materia, vt optimè Arist. docet, sicuti cera recipit formam anuli sine materia anuli.

Sed Iandunus in suis quæstionibus contra hanc conclusionem alio modo dubitat: Illud inquit, quod alteri competit quam sensui, nõ est proprium sensus. esse autem formarum sine materia receptiuum alteri etiam competit. ergò non est proprium sensui. Quod autem recipere formas absque materia alteri etiam competat, quam sensui, res clara est cũ Arist. inferius 3. lib. de anima contex. 38. vbi ait, quod recipere formas sine materia propriũ est intellectus. Quare formas sine materia recipere sensibus non competit, cũ sensus essentialiter cum intellectu non sint idem.

Respondetur, verissimum esse, quod etiam intellectus recipit species sine materia, attamen differt receptio intellectualis à sensitiua, nam sensus indiuidualiter species recipit, & quatenus sunt de obiecto vt hic & nunc, cum virtus corporea sit, intellectus autem quia immaterialis est vniuersaliter formas recipit, neque præcisè vt representant hic &

nunc.

nunc. & sic benè dixit Arist. quod sensus sit receptiuus formarum sine materia.

(Sensorium autem primum est in quo huiusmodi potentia) subdit deinde Aristot. in contex. 122. nimirum quia superiùs decreuerat quid esset sensus, nunc in præsenti textu declarare intendit, quod sit organum eiusdẽ sensus, cum sensus absque organo minimè sit, sicuti neque materia est absque forma. Sensorium, inquit Arist. est in quo huiusmodi facultas reperitur, id est recipiendi formas sine materia & sentiendi: cuiusmodi sensorium visus est oculus, verbi gratia, auditus auris, & sic de alijs. Sed cum oculus plures habeat partes & spiritus & substantia ipsa oculorum in oculis reperiuntur. quænam ex his partibus erit organum visus? Ioannes Grammaticus in com. organum primum sensus inquit spiritus sunt. atque pariter oculi, nares, aures, lingua, nasus, & similes aliæ partes organorum officio vtuntur, siue organa propriarum facultatum sunt, at organa secundaria, cum organum primum, siue primum facultatum animalium instrumentum sint ipsi spiritus animales.

Verum si spiritus essent organum sensus, sequeretur dicet aliquis quod omnes sensus habe-

haberent vnum ſolummodo organum, cum omnes ſenſus per eoſdem ſpiritus ſentiant.

Præthereà ſpiritus animati non ſunt, organa verò animata ſunt, cum organa partes animalium eſſe ſoleant; quare ſpiritus organum ſenſus nequaquam ſunt.

Sanè ſuppoſito quod ſpiritus partes corporis integrantes non ſint, neque partes animatæ, organum ſenſus appellari poſſe non videtur, ſed potius medium, ſiue inſtrumenta eidem ſenſui inſeruientia: ſpiritus nempè inſeruiunt ad ferendas ſpecies ſenſibiles organo, ſiue ſenſui in organo exiſtenti repræſentandas, in organo inquam ſiue organi ſubſtantia. & ſic non ſpiritus ſunt organum primum ſenſus, ſed oculi, exempli gratia, nares, vel huiuſmodi aliæ partes. appellari verò organum ijdem ſpiritus poſſunt, impropriè, cum impropriè etiam in ijſdem ſpiritibus ſpecies ſenſibiles ſubiectentur, quandoquidem propriè recipiuntur in ſubſtantia ipſa vbi ſenſus reſidet.

DISPVTATIO XXXVII.

IN hac diſputatione explicãdus eſt tex. 128. vbi ſecundum Græcos & alios plures incipit

cipit tertius liber Arist. de anima. Ita Ioannes Grammaticus, Diuus Thomas, & alij; sed de hac re parum refert quidquid dicatur & vtrum simus adhuc in secundo libro, an vero principium tertij attingamus. (Quod autem non sit sensus alius præter quinque (sunt verba Aristot. in contex.) dico autem hos visum, auditum, olfactum, gustum, tactum, ex his credet aliquis, &c.)

Sed contra hanc Aristot. propositionem, quod quinque solum sint sensus sic fortasse aliquis dubitabit. In superioribus cum ageremus de sensu tactus cum Aristot. diximus tactum non esse vnum sed plures, ergò sensus sunt plures quam quinque.

Secundo visus non est vnus sensus. ergò sensus sunt plures quinque; & quod visus non sit tantum vnus probatur ex eo quia plures sunt actus visus, & per consequens plures visiuæ potentiæ, cum potentiæ per actus specificentur, & quot sunt actus, tot etiam sint potentiæ. Quod autem visionis actus plures sint & non vnus, constat quia visus sensus, sentit atque videt cum Arist. infra in contex. 136.

Præterea vna & eadem potentia animæ nō est cognoscitiua perpetuorū, atque corruptibilium.

bilium. sed visus aliquorum perpetuorum cognoscitiuus est, scilicet luminum corporũ cœlestium, & aliquorum etiam corruptibilium, cuiusmodi corpora hæc inferiora sunt. ergò visus vnus sensus appellari non potest, sed plures & per consequens plures sunt sensus quam quinque.

Sed sensus quinque solum esse neque plures, neque pauciores cum Arist. communis Philosophorum Scola sentit: si enim, inquit Aristot. in contex. aliquis sensus deficeret à quinque dictis, deficeret etiam sensorium: sensoria autem quinque sunt, ergò & sensus, cum sensorium semper sit in ordine ad sensum, & ideò si sensorium deficit, etiam sensus deficit, vtsi deficeret sensus, deficeret etiam sensorium, nam Deus & natura nihil frustra faciunt. sed sic est quod nullum sensorium deficit: ergò neque sensus. quare sensus pauciores quam quinque non sunt.

Vtitur etiam Aristot. ad idem probandum hac alia ratione, si deficerent sensus, deficerent etiam & sensibilia: sensibilia non deficiunt, ergò neque sensus. Quod sensibilia minimè deficiant, probat Arist. ex eo quia omnia sensibilia sentiuntur, & quæ sunt longè apprehendimus odoratu, visu, & auditu. quæ

verò sunt propè gustu, atque tactu. quarè cuncta sensibilia percipiuntur, & per consequens sensus à quinque dictis non deficiunt.

Themistius ad probandum quod homines quinque sensibus polleant alia ratione vtitur; homo inquit habet animam rationalem. ergò debet etiam habere omnes sensus, qui sunt potentiæ inferiores; anima etenim rationalis præsupponit omnes alias potentias inferiores. Atque ita quinque sensus sunt, neque plùres, neque pauciores.

Neque obstant quæ in contrarium afferebantur, nam primo quando *Arist.* dixit tactũ non esse vnum sensum sed plures, id solum intellexit secundum speciem specialissimam; est enim sensus tactus hominis, equi, canis, & aliorum, & hoc modo sensus tactus plures sensus sunt, non autem sunt plures sensus idem tactus genericè consideratus, sed secundum genus propinquum, vnus tantummodo sensus est.

Secundò dicebatur quod visus nõ est vnus, quoniam eius actus sunt plures. eadem responsio exhiberi potest, visus non est vnus secundum speciem specialissimam conceditur, secundum genus propinquum negatur: genericè enim consideratus visus ad vnum

solum-

ſolummodo actum genericum eſt, & ſic viſus eſt vnus ſenſus. tertio dicebatur, quod viſus eſt ipſius ſentire, & ipſius videre: ſed animaduertendum eſt quod videndo ſentit animal, & videre ipſum ſentire eſt, neque differt viſio à ſenſatione, ſed appellatur ſenſatio viſus ad differentiam aliarum ſenſationum, quæ ſunt ex alijs ſenſibus.

Tertiò eadem potentia animæ non eſt cognoſcitiua perpetuorum, atque corruptibilium. abſolutè poteſt negari antecedens. vel etiam poſſumus dicere quod corruptibilia & incorruptilia ſub eadem ratione à ſenſibus comprehenduntur, & viſus exempli gratia, videndo corruptibilia videt ſub eadem communi ratione obiecti viſibilis, ſub qua videt incorruptibilia, nam ſenſus cum ſpecies corruptibilium ſubſtantiarum recipiunt, recipiunt illas, vt ſic dicam, omni corruptione ſpoliatas. Senſus ergò quinque ſunt neque plures, neque pauciores: ideſt viſus, auditus, olfactus, guſtus, tactus.

Verum præter hos ſenſus dicet aliquis eſt etiam ſenſus communis, ſunt etiam memoria & imaginatio, ergò ſenſus quinque ſolum non ſunt, vt vult Ariſt.

Reſpondetur breuiter, dari vtique ſenſum

communem, eumque communiter recipi à cunctis Philosophis: at cum sensus quinque solum esse dixit Arist. de sensibus particularibus intellexit. Quemadmodum dantur imaginatio & memoria, vtique etiam verum est: ergò sensus plures sunt, quam quinque negatur: namque imaginatio & memoria sunt facultates animæ intrinsecæ, sensus verò quinque dicti sunt extrinseci, & cum quinque sensus esse dixit Arist. de extrinsecis intellexit, non autem de intrinsecis.

Sed cur extrinseci sensus ijdem appellantur, videlicet visus, tactus, olfactus, auditus, gustus? an quia in extrinsecis animalium partibus resident vt nonnullis placuit? nequaquam, cum in extima parte pupillæ minimè visio celebretur, sed in interna potiùs, vt auditus non in extima aurium parte, sed in interna exercetur. Extrinseci verò sensus huiusmodi appellantur, quia ex sensibilibus extrinsecis immutantur, dum recipiunt species obiectorum externorum intentionales: vt intrinseci sensus memoria & imaginatio appellantur, quoniam species sensibiles non ex obiectis extrinsecis immediatè recipiunt, sed ex ipsis sensibus iam dictis: ante quam etenim species obiectorum sensibiles ab imaginante

facul-

facultate ſiue memoria cognoſcantur, ſub ſenſibus externis ſunt, atque ab ijſdem prius etiam actuantur.

DISPVTATIO XXXVIII.

QVoniam autem ſentimus quod videmus & audimus, neceſſe eſt aut viſu ſentire quod videt, aut alio) Hęc habet Ariſtot. in contex. 136. Dixerat ſuperiùs quinque eſſe ſenſus, nempè viſum, auditum, olfactum, guſtum, tactum, non autem pauciores. Nunc verò docet vtrum ſenſus ſint plures, quam quinque, nam quod videmus etiam ſentimus nos videre exempli gratia, & quod audimus ſentimus nos audire, & ſic de alijs. igitur plures ſunt ſenſus quam quinque, vel ſaltem datur aliqua alia potentia ſenſitiua quæ ſit communis his quinque ſenſibus iam enarratis. ſuper hac quæſtione Ariſt. in contex. hinc inde diſputat. & primò conatur probare quod aliqua potentia his quinque ſenſibus communis detur. Nam percipimus, inquit, actiones propriorum ſenſuum, videlicet ſentimus nos videre, audire, guſtare, olfacere; Hoc verò non poteſt eſſe per eandem potentiam particularem, ergò

datur aliqua alia potentia cõmunis, & quinque dictis particularibus ſenſibus ſenſus alius communis eſt adiungendus.

Secundò diſcernimus inter ſenſibilia propria diuerſorum ſenſuum, vtputa quod aliquid ſit dulce,& aliquid ſit coloratum, quod ſimiliter non poteſt eſſe niſi per communem aliquam potentiam, quæ ſimul cognoſcet dulce & coloratum.

Ex altera parte, ſi homo, inquit, ſentit ſe videre alio sẽſu, quam viſu,ſequeretur,quod vnius obiecti eſſent duo ſenſus,quod videtur abſurdum. ergò ſenſus particularis poteſt cognoſcere ſuam operationem abſque eo quod detur alius ſenſus cõmunis. & hæc ſunt quæ Ariſt.affert circa propoſitam quęſtionẽ abſq. eo tamen quod hoc loco aliquid concludat.

Satisfacit autem huic quæſtioni idem Ariſt. in lib.de ſomno & vigilia his verbis (eſt autẽ quædam potentia communis, quæ ſequitur omnes, quia & quod videt audit, & ſentit; non enim viſus videt quando vidit &c.) & vult dicere Ariſt. quod præter quinque ſenſus particulares eſt alius sẽſus, qui communis appellatur, cuius officiũ eſt percipere omnia ſenſata, & iam percepta à ſenſu exteriori.

Non obſtat autem, quod vnius obiecti duo

duo ſenſus eſſent, id enim ſub diuerſa ratione abſurdum non eſt: etenim communis ſenſus operationem duplicem habet. Prima eſt apprehendere obiecta à ſenſibus exterioribus prius percepta, vt exempli gratia viſus percipit lumen, auditus vocem, & tamen neque viſus apprehendit ſe videre, neque auditus audire, non enim viſio illa eſt lux, aut color, neque etiam auditio illa eſt ſonus vel vox, ſed quod viſus videat, & auditus audiat à ſenſu communi percipitur.

Secunda operatio eſt diſtinguere, atque dijudicare differentias obiectorum ſenſuum exteriorum, vt verbi gratia album & nigrũ, quod eſt obiectum viſus, dulce & amarum, quod eſt obiectum guſtus, quia viſus non apprehendit differentiam coloris à ſono, nec auditus differentiam ſoni à colore, & ſic de alijs, ad communem etenim ſenſum pertinet cognoſcere huiuſmodi differentias, & ſeparare dulcedinem, exempli gratia, à caliditate, ſonum à colore, odorem à dulcedine. Vnde Ariſt. in 2. de anima comparat ſenſum communem centro circuli, quia ſicuti multæ lineæ à circumferentia ductæ ad centrum terminantur, ſic omnes ſenſuum externorum immutationes terminantur in ſenſum com-

munem, & sicuti centrum secundum se considerátum est vnum atque indiuisibile, relatum verò ad lineas, quæ ex ipso protrahuntur est plura: sic etiam sensus communis potest eadem ratione dici vnus & plures. Vndè Auerroes 2.de anima scribit, quod sensus cõmunis vt est recipiens, est plures sensus, vt verò iudicans est tantum vnus, & sic etiam vno modo est diuisibilis, alio autem modo indiuisibilis. Quare præter quinque sensus etiam datur sensus communis, & ab illis est vere diuersus.

Non est autem communis sensus potentia exterior quemadmodum alij quinque sensus iam dicti, sed interna facultas: nam sicuti externè quinque sunt sensus ad operationes animales inseruientes, ita etiam secundum aliquos internæ quinque aliæ dantur facultates, nempè sensus communis, imaginatiua, æstimatiua, ratiocinatiua & memoria. & sensus communis tanquam in organo residet in ventriculo cerebri anteriori, & secundum partem anteriorem. Imaginatio in parte posteriori eiusdem ventriculi anterioris. Aestimatiua in medio capitis ventriculo, sed in parte inferiori, ratiocinatiua verò in parte pueriori eiusdem ventriculi. memoria denique

que residet in ventriculo, qui est in parte capitis posteriore.

Verum circa hunc numerum sensuum internorum dubitant nonnulli & præsertim Franciscus Piccolomineus in lib. proprio de sensibus internis cap. 3. quorumdam opinio, inquit, est Philosophorum, & Medicorum asserentium internum sensum esse tantummodo vnum, qui tamen plures sensus dicatur, propterea quod & pluribus etiam muneribus ipsi fungi contingat. & hæc opinio pluribus etiam modis probari potest; nempè primò quia ea omnia munera, quæ proficisci dicuntur ex sensu cõmuni, à phantasia quoque perfici possunt. ergò frustra vel superfluè plures sensus dantur, cum natura superuacanea fugiat, atque Deus & natura nihil frustra faciant.

Secundò fundamentum vel sedes interni sensus, siue cum Aristot. dicatur cor, siue cum Medicis cerebrum, vnum solummodò est, atque vno spiritu tanquam instrumento vtitur. ergò etiam facultas vna solum dari debet.

Tertiò idem est obiectum sensus communis & phantasiæ, vel imaginationis, nempè sensibile, ergò vnus etiam sensus hæ duæ potentiæ

tentiæ affirmandæ sunt. cum præsertim eadem quoque & communis definitio illis cōpetat, siquidem phantasia ex Aristot. in 2. de anima dicitur, motus factus à sensu qui actu est, quod rectè etiam competit sensui communi, cuius operatio est etiam motus factus à sensu, qui actu est, cum ea quæ sunt in sensu communi prius existant in sensu particulari. quare phantasia & sensus communis inter se minimè differunt, sed vnus tantummodo sensus sunt.

Ex altera verò parte; si sensus consideratur non quatenus fundamentum eorum est cor, aut cerebrum, sed quatenus sunt principia proxima distinctarum actionum, hac ratione sensus interni non videntur esse vnus sensus, sed plures. Vnde & Aristot. 3. de anima contex. 41. phantasia inquit ipso esse ab alijs distinguitur.

Et quod interni sensus non vnus solum sint rectè colligitur ex eorum actionibus, siquidem diuersas exercent actiones phantasia & sensus communis, nam phantasia mouetur à sensu communi, & sensus communis mouet phantasiam, motus autem & mouens inter se maximè differunt, ergò etiam phantasia, & sensus communis diuersæ potentiæ inter se sunt.

ſunt. Præterea ſenſus communis non operatur in ſomno, phantaſia verò maximè, cum inſomnia ſint phantaſiæ operationes,vt vnuſquiſque experitur.

Denique animalia nonnulla carent memoria, non autem carent ſenſu communi, nam muſcæ, exempli gratia, alimenti iucunditatem vtique apprehendunt, & licet ab eodem alimento pluries expellantur, nihilominus ex eadem iucunditate tractæ ad alimentum iterum ac ſæpiùs redeunt, immemores nimirùm periculi mortis quod ſubierunt, & certum videtur,quod ſi aliàs memoriæ expertes non eſſent ad prohibitum alimentum & ad vitæ periculum non redirent. Similiter nonnulli hominum pollent memoria, non autem phantaſia, & è contra. atque interdũ læditur memoria abſque eo quod lædatur phantaſia non alia ratione, niſi quia hi ſenſus interni diuerſi ſunt, non autem vna tantum facultas.

Ad argumenta verò in contrarium adducta ſic reſpondetur. & primò operationes, quæ perficiuntur à ſenſu communi, poſſunt etiam perfici à phantaſia, negatur: phantaſia enim mouetur à ſenſu communi, vt dicebatur,idem verò non poteſt eſſe mouens & motum,

tum . ergò neque phantaſia poteſt exercere munia ſenſus communis .

Secundò,vna eſt ſedes phantaſiæ,& ſenſus communis, etiam negatur, genericè loquendo: vna ſcilicet eſt ſedes vniuerſalis, conceditur , vna verò particularis negatur : nam vt alibi indicauimus ſenſus communis ſuis fungitur muneribus in anteriori parte anterioris ventriculi capitis , phantaſia verò in poſteriori , atque ita diuerſæ ſedes ſunt phantaſiæ, & communis ſenſus .

Tertiò idem eſt obiectum genericè conſideratum conceditur ; nempè tam phantaſia quam ſenſus communis circa ſenſibilia verſantur,ſed ſub diuerſa ratione,vt diximus .

Et denique phantaſia cum definitur ex Ariſtot. motus factus à ſenſu qui actu eſt , non intelligit Ariſt. de motu facto à ſenſu immediatè externo , ſed de motu à ſenſu externo facto cum ſenſu communi tamen coniuncto; agit enim ſenſus etiam externus in phantaſiam, non immediate,verum communi ſenſu mediante . & ſic plures ſenſus interni ſunt , quam vnus .

Nonnulli alij aſſeruerunt ſenſus internos non eſſe vnum ſenſum,ſed duos, vt refert idẽ Franciſcus Piccolomineus cap.3. lib. proprij de

de ſenſibus internis, ſed differunt inter ſe qui huius opinionis ſunt, nam aliqui voluerunt ſẽſus internos eſſe phantaſiam, ad quam reducunt ſenſum communem, & præterea cogitatiuam, ad quam reducunt memoriam. Iacobus verò Foroliuienſis cum alijs nõnullis, docet ſenſus internos eſſe duos ſolummodo, ideſt facultatem cogitandi, & ſpecies conſeruandi, ſiuè reminiſcendi, nam hæc ſunt ea munera quæ ex ſenſibus internis prodeunt, quæque temperamenta diſtincta expoſcunt, & per duos ventriculos exercentur. Sed vtrũ hæc opinio vera ſit in ſequenti diſputatione examinabimus.

DISPVTATIO XXXIX.

SVperiori diſputatione de ſenſibus internis agendo aliquorum ſententiam propoſuimus aſſerentium duos ſolummodo eſſe huiuſmodi ſenſus, nempè phantaſiam, & cogitatiuam, vel ſecundum alios cogitatiuam & memoriam. & quod dicti ſenſus ſint diuerſi videtur probari ex eo, quia illorum operationes diuerſa temperamenta requirunt; nam diuerſam temperiem imaginatio & diuerſam memoria poſtulat, cum memoria in ſicco benè

nè exerceatur, imaginatio autem in humido. Præterea duo tantum sunt ventriculi capitis siuè cerebri sinus. ergò etiam duo sensus, cum sensus in sinibus ventriculorum capitis operentur.

Sed certum videtur quod sensus internos esse tantum duos, affirmari non potest: nam Arist. lib. de anima non vnum, aut duos tantummodo enumerat sensus internos sed plures; & 2. de anima contex. 149. cum egisset de sensu cōmuni, colligit se egisse de sensu, & ad phantasiæ explicationem tanquam à sensu communi distinctam se confert: Præterea phantasia ad sensum communem reduci non potest, siquidem phantasia dicitur moueri à sensu communi & ideò non idem sunt communis sensus & phantasia; amplius phantasiæ actio in potestate nostra est, non autem actio sensus communis; & phantasia in somno libera est, sensus autem communis ligatus; denique sensum communem Aristot. tribuit cunctis animalibus, non autem phantasiam; vnde sub phantasia sensus communis non comprehenditur, & per consequens plures quam duo sensus interni sunt.

Neque obstat quod diuersa temperamenta requirant operationes sensuum: nam di-

uersam

uersam quidem requiret temperiem memoria ab imaginatione, esto; diuersi etiam sensus sunt, pariter concedimus. at ex his quod duo solum sensus interni sint non sequitur. Sicuti etiam negatur duos tantummodo in capite ventriculos reperiri, nam tres sunt ex Medicis, vt superiùs diximus, in quibus sensus ijdem alij quidem in toto, alij verò in parte ventriculi sedem habent, & suis funguntur operationibus.

Sed Auerroes, dicet aliquis com. 6. 3. de anima. & 2. collect. cap. 20. docuit sensus internos esse quatuor, nempè sensum communem, phātasiam, cogitatiuam, & memoriam: de sensu communi phantasia & memoria, distinctè atque conspicuè Arist. loquitur, at dubitatio est de cogitatiua, an præter potentiam intellectiuam siue præter mentem, alius sensus internus detur, qui appellatur cogitatiua. Auerr. loco dicto est huius sententiæ, nempè dari cogitatiuam, quæ sit quasi media inter phantasiam & mentem; & hanc sententiam conatur probare diuersis rationibus, & auctoritatibus.

Primò, inquit, inter sensus internos debet reperiri facultas, quæ appetitum excitet, & motus principium sit. quòd tamen phantasia effice-

effiecere non valet, quia vt Aristot. 2. de anima docet contex. 154. per phantasiam minimè mouemur, sed perinde afficimur atque illi qui picturas intuentur. vnde pręter phantasiam debet dari vis cogitandi, per quam appetamus & moueamur.

Secundò Aristot. in contex. 153. eiusdem 2. de anima, phantasia, inquit, non fit sine sensu, & sine hoc non est existimatio, ergò præter phantasiam datur existimatiua siuè cogitatiua. existimatiua enim appellatur hæc facultas in brutis, cogitatiua verò in hominibus.

Tertiò idem Arist. 3. de anima contex. 57. duplex inquit est phantasia, alia sine ratione, alia verò cum ratione, quam phantasiam cum ratione Marcus Antonius Genua in ex posit. contex. 153. 2. de anima vim cogitandi appellat. Multæ etiam aliæ rationes sunt pro Auerr. quæ breuitatis causa omitto.

Communis tamen sententia vt notat Franciscus Piccolomineus in lib. de sensibus internis cap. 5. est non dari hanc cogitatiuam potētiam ab intellectu seù mente distinctam: nam cogitatiua διάνοια græcè dicitur, quæ dictio ad mentem pertinet, cogitatio enim idem est atque intellectio, inquit Gal. & cogita-

gitatiua à mente siue intellectu non differt: quamquam Gal. in hac re ab Auerr. maximè reprehendatur, vt videre est in 2. collect. cap. 40. & alibi.

Non obstant quæ ex Auerr. in contrarium afferebantur, nam inter sensus internos debet reperiri facultas quæ excitat appetitum, & motus principium sit, esto: sed phantasia non potest excitare appetitum, distinguendo respondetur, phantasia non excitat appetitum per primam notionem, transeat; non excitat appetitum per subnotionem negatur, nempè dum rem iudicat tanquam sibi iucundam vel aduersam. Et sic contex. 154. 2. de anima per phantasiam non mouemur, inquit Arist. sed perinde efficimur atque illi qui picturas intuentur; per phantasiam non mouemur inquam, hoc est per primam notionem phantasiæ, sed per subnotionem negatur; quando scilicet phantasia præter cognitionem apprehendit rem vt iucundam vel molestam. Vnde cogitatiua superflua est hac ratione, nam phantasia benè potest per se appetitum excitare: cum etiam Arist. in 3. de anima, de facultate mouendi verba faciens officium mouendi appetitui tribuat, nec non phantasiæ. & amplius phantasiā afferre phan-

tasmata menti sanè docuit Aristot. & intelligentem phantasmata speculari, & alia huiusmodi; nunquã tamen inter mentem & phantasiam aliam facultatem recensuit.

Secundo afferebatur contex.153.eiusdem 2. de anima, vbi Arist. affirmat phantasiam non esse sine sensu; neque sine phantasia esse existimatiuam; ergò existimatiuæ nomine cogitatiuam potentiam hic intellexit Arist. negatur, nam existimatiuæ nomine non aliquem internum sensum denotauit Aristot. vt nonnulli perperam exponunt, sed mentem ipsam aut iudicium mentis intellexit.

Tertio & vltimo afferebatur tex.57.3.de anima, vbi Arist. phantasiam vel sine ratione, vel cum ratione esse asserebat; hanc verò phantasiam cum ratione non nulli (& Marcus Antonius Genua præsertim) dicunt esse cogitatiuam potentiam: quod tamen apertè falsum est, cum phantasia vel sine ratione, aut cum ratione sit ex Arist. per quæ verba non denotat Arist. facultates duas, sed duo munera humanæ phantasiæ, & duas eiusdem constitutiones: formatur namque phantasia interdum, & per sensus dirigitur circa sensibilia nonnunquam verò per mentem siue rationem, dum ex eadem corrigitur, atque dirigi-

rigitur, veluti in viro prudente accidit. & ſic quidquid Auerr. dicat cogitatiua potentia non datur.

DISPVTATIO XL.

DE numero ſenſuum internorum agentes in ſuperioribus diſputationibus attulimus varias ſententias, ſecundum quas alij aſſerunt eſſe vnum ſolummodo ſenſum internum, alij duos, alij quatuor vt Auerr. 2. collect. & alibi, vbi docet quatuor eſſe ſenſus internos, nempè ſenſum communem, phantaſiam, cogitatiuam, memoriam: ſunt verò non nulli alij, & eſt quarta opinio aſſerentium ſenſus internos eſſe quinque, ità Auic. 6. natural. & Albert. 2. de anima, & aliqui alij. Diſſentiunt verò hi authores de eorum nominibus atque officijs: nam Auic. ſenſum cõmunem, inquit, vim imaginandi, & phantaſiam ſola ratione diſtingui: vt enim iudicat hoc in hoc, veluti hoc mobile eſſe album, dicitur ſenſus communis, vt ſeruat phantaſia dicitur & imaginatio, quæ non iudicat album in mobili, ſed formam in ſe, vt albedinem abſente ſubiecto. His tertio ſuccedere ait vim cogitandi, quæ ſenſibilia componit & diuidit; &

hæc facultas vis cogitans appellatur, dum ei mens imperat. dum verò imperant sensus infra rationem positi apellatur vis animalis, atque imaginatrix. Quarta est facultas existimatiua, quæ elicit species non sensatas, vt verbi gratia, amicitiæ ex sensatis, atque eas inter se componit. Denique postrema facultas memoria est.

Albertus autem primo statuit cõmunem sensum, cui succedere ait vim cogitandi, quæ formalis appellatur, seruans & eliciens sensibiles species, quas etiam iudicat sensibilibus absentibus. Tertiam existimandi vim nuncupat, quam ait elicere intentiones amicitiæ & inimicitiæ ex speciebus sensibilibus. Quartam statuit phantasiam in brutis, in homine vim cogitandi, quæ species & intentiones componit. Quintam postremò, memoriam.

Sed hanc opinionem Franciscus Piccolomineus in lib. de sensib. inter. cap. 6. apprimè redundantem iudicat: nam superuacaneum est, inquit primò duplicem statuere memoriam, vnam scilicet specierum sensibilium, alteram intentionum, siuè vt aiunt specierũ nõ sensibilium, cũ per sensum nulla intentio percipi possit, sed solum circa eam subnotio quædam fieri valeat iudicando eam vlterio-

re

re quodam actu, nempè vt amicam, vel aduersam. Per memoriam principaliter seruatur species sensibilis, & per quandam consecutionem seruatur subnotio.

Præterea malè tribuunt internis sensibus apprehensionem subnotionis, vt verbi gratia, sensum amicitiæ cum re amica & similiter sensum inimicitiæ, nam id sola mens efficere valet.

Amplius phantasiam male secernunt à facultate imaginandi, cum sint duæ voces, vna græca, altera verò latina idem significantes.

Minus rectè pariter vim cogitandi & existimandi inter sensus internos dinumerant cum cogitare & existimare officia mētis sint, vt dicebatur.

Et insuper Auic. confusè imaginationem primò nectit cum sensu communi, & phantasia, deinde cum cogitatione.

Demum facultatem imaginandi, species seruare falsò asseritur, cū imaginari nil aliud sit, nisi sensibiles formas concipere, conceptasq. considerare & iudicare.

Sed contra hæc omnia dicet aliquis, in somno imaginatio libera est, iudicium verò ad existimationem pertinens est ligatum, & aliqui possunt varia imaginari, non autem

rectè iudicare, quod indicat vim exiſtimandi à facultate imaginandi maximè ſecerni, atque differre.

Reſponderi tamen poteſt, hanc obiectionem nihil valere aduerſus ea, quæ ſuperiùs diximus; nam eiuſdem facultatis officium eſt ſenſibilem ſpeciem concipere, & iudicare. Vnde Ariſt. in 3. de anima contex. 28. eidem facultati tribuit apprehenſionem obiecti abſolutè, atque iudicium eius quod ſit iucundum, vel moleſtum, id tamen primum, ſaltem origine, antecedit, & præſupponitur ab altero, indeque oritur quod vis imaginandi dum fuerit imperfectior vel minus libera, valet efficere primum non verò ſecundum, re vera tamen in dormiente & imaginatio & iudicium ſimul confuſa ſunt.

Sed verior ſententia eſt, inquit Franciſcus Piccolomineus, ſenſus internos eſſe tres ad ſummum, duos nimirum iudicantes, qui magis proprie ſenſus nomine denotantur, tertium verò ſeruantem; nam Ariſt. plures quam tres eoſdem ſenſus internos non nominauit, vt ex 2. de anima conſtat, & ex lib. de ſenſu & ſenſili, vbi exactiùs de communi ſenſu ſermo habetur, nec non etiam in lib. de memor. & reminiſc. quibus locis ſolius ſenſus communis

nis meminit Arist. phantasiæ, & memoriæ, quæ quidem facultates tres tantum sunt, tanquam initium, medium, & finis internæ sensibilium apprehensionis: nam sensus communis vt est finis externorum sensuum, ita est principium internorum: phantasia est medium, memoria verò finis. Communis sensus solum circa præsentia versatur; phantasia circa præsentia & absentia; memoria tantum circa absentia. Sensus communis absque medio cum phantasia nectitur, quam proximè mouet, phantasia & memoria proximè famulantur menti, & mens vltimo loco proximè phantasmata speculari dicitur. Phantasia insuper ea est, quæ per subnotionem appetitum excitat, cum quo est principium motus, & tanquam facultas inter sentientes suprema, in viuentibus locum mentis obtinet, & mens brutorum nuncupatur. Vnde sensus interni tres sunt neque plures aut pauciores.

Verum quod dicti sensus interni non sint plures, nec pauciores quam tres, ex alijs etiã rationibus probari potest. Nam si plures essent sensus vel esset addenda cogitatiua, vel existimatiua, vel imaginatio à phantasia distincta, vel aliqua alia seruans facultas. At nihil horum dicendum est.

Primò enim,quod non rectè addantur cogitatiua, & existimatiua patet,quia hæ potentiæ ad mentem reducuntur. Imaginatio verò & phantasia ad idem sunt, vt superiùs diximus, cum subnotionum iudicium,quod imaginationem aliqui appellant ad phantasiam reducatur, atque idem prorsus cum phantasia sit. & denique præter memoriam nulla datur alia seruans facultas. Quare sensus interni plures iam enumeratis minimè sunt.

Sed contra hæc dubitabit aliquis, quod inter sensus internos omnino sit numeranda existimatiua. nam interdum experientia constat quod imaginatiua benè valet, & existimatiua læsa est: vt apud Medicos exempla habemns plurima, & præsertim apud Gal. lib.de sympth.diff. vbi recenset Theophilum Medicum, qui cum febre detineretur falsò imaginabatur in angulo sui cubiculi quosdam adesse tibicines inflantes tibias, quos tamen tanquam sibi molestissimos è cubiculo expelli rogabat. idque ex eo erat, quia imaginatio lædebatur, illæsa prorsus existimatiua permanente. Vt è contra existimatiua aliquando læditur absque eo quod lædatur imaginatiua vt apud Gal. eundem lib. 4. de loc. affec. exemplum aliud habemus de eo

qui

qui Romæ domi cum puero lanifico reperiebatur, & phrenitide affectus vitrea quædam vasa accipiens, eaque omnia proprio nomine appellans ad fenestram pretereuntibus ostendebat, & vtrum proijceret ab ijsdem petebat, respondentibus illis quod sic, ita etiam & ipse agebat, & postremò puerum accipiens etiam vt vasa proiecit. Quare existimatiua illæsa pariter imaginatiua potentia affici potest, & per consequens existimatiua quoque inter sensus internos enumeranda est, neque solum tres sunt interni sensus, sed plures contra ea quæ superiùs diximus.

Respondetur tamen vtique animalia interdum decipi, & præcipuè homines vnum pro altero scilicet accipientes: has autem deceptiones dicendum est vel esse mentis, cuius laborantes graui morbo parum compotes sunt: vel esse externorum sensuum, quorum officia ob permutatos spiritus etiam deprauata sunt, vel denique phantasiæ deprauationes esse pro attinentibus ad officium vnũ potiùs, quam ad aliud.

Dubitabis autem ampliùs, nam vltra memoriam conseruantem facultatem, datur quoque reminiscentia. ergò sensus interni plures sunt quam tres.

Respon-

Respondetur breuiter reminiscentiam à memoria non distingui: nempè reminiscentia eadem facultas memoriæ est, quæ mentis auxilio operatur: appellatur verò hæc facultas nunc memoria, nunc verò reminiscentia, prout varias exercet operationes, dicitur nimirum memoria cum auxilio mentis non indiget, reminiscentia verò dum mente vtitur, cum scilicet nonnullorum oblitorum mente mediante reminiscimur. Atque amplius memoria facultas communis est cum brutis & hominibus, reminiscentia verò homini solummodo competit.

Verum postremo loco etiam bruta animalia reminiscuntur, dicet aliquis, nam canis respiciens baculum reminiscitur se eo fuisse percussum, atque aufugit: equus foueam respiciens, in quam priùs cecidit renuit per eandem viam transire, & plurima prætereà animalia pericula præterita timent, quia scilicet illorum maxime reminiscuntur. Quarè etiam in brutis reminiscentia reperitur.

Respondetur reminiscentiam illam, quæ in brutis apparet non esse veram reminiscentiam, cum non fiat auxilio rationis, sed solùm esse quandam memoriæ restaurationem per obiecti oblationem. prospiciens enim canis

obie-

obiectum baculum, & equus respiciens foueam recordantur subnotionum, & connexorum cum ijsdem obiectis. Quare sensus interni tres tantum sunt, nempè sensus cõmunis, imaginatio siue phantasia, & memoria.

DISPVTATIO XLI.

EXplicauimus in superioribus disputationibus numerum sensuum internorũ; & declarauimus qui nam sint: sed quoniam sensus omnes per actiones specificantur, reliquum est vt etiam enumeremus & declaremus eorum actiones. & primò incipiendo ab actionibus communis sensus septem sunt huius facultatis officia: nempè primum officium est nectere tanquam centrum externos sensus eorumque actiones perficere: vt enim per communem sensum facultates externæ robur accipiunt, ita etiam per eundem illorum iudicium exactius redditur.

Alterum officium est iudicare atque cognoscere nos sentire.

Tertium est comparare sensibilia propria distinctorum sensuum, eorumque dissimilitudinem & similitudinem iudicare, vt Arist. docet in 2. de anima.

Quar-

Quartum officium est propriè versari circa sensibilia communia, vnde Arist.in eodem 2.de anima contex.134. pro illis, inquit, datus est nobis communis sensus.

Quintum officium est apprehendere priuationes propriorum sensibilium, vt silentium atque tenebras, quæ tametsi absque externo sensu non iudicentur, vt sine auditu silentium, attamen iudicium huiusmodi per communem sensum absoluitur: ideoque Auerr. com. 149. 2. de anima tale officium communi sensui tribuit.

Sextum officium est in brutis imperfectioribus phantasiæ partem exercere, eorum nempè appetitum contractione & extensione excitando ad prosequenda vtilia, aut inutilia vitanda, sicut apparet in animalibus imperfectis.

Septimum denique communis sensus officium est excitare phantasiam, eique sensibilia offerre, atque subministrare.

Verum aduersus hæc de communi sensu prolata, sic fortassè dubitabit aliquis: nam sensus internos iudicare diximus species sensibiles per sensus externos receptas, & communis sensus operationem præcipuè esse recipere & cognoscere sensibilia, aut species

sensi-

ſenſibiles à ſenſibus externis oblatas. At ſenſibile viſus dicet aliquis eſt color: color autem ſine lumine videri non poteſt. quarè neque à ſenſu communi iudicari poterit, cum intus tenebræ, non autem lumen inueniantur.

Reſponderi poteſt lumen requiri ad iudicium externorum colorum, ſed facto primo iudicio atque intus colore tranſlato ab eſſe materiato ad eſſe ſpirituale, lumen amplius haud requiri.

Sed dices ampliùs, alteram ſenſus communis operationẽ diximus eſſe percipere quod ſentiamus, cum tamen Ariſt. in 2. de anima tex.136.id per externos ſenſus fieri affirmet.

Reſpondetur primo Ariſt. tametſi in 2. de anima id affirmauerit nihilominus in lib. de ſomno & vigilia idem negat.

Secundo ex Theophraſto cap.47.de phantaſia dicimus externos ſenſus dupliciter poſſe conſiderari, ideſt vt externos & proprios, vel vt coniunctos cum communi ſenſu, vt externi autem & proprij ſunt ipſorum obiectum iudicant, vt verò iuncti cum communi ſenſu, quoniam exactius operantur etiam ſe ſentire iudicant, atque ita communis ſenſus per intermedios ſenſus externos iudicat nos

vide-

videre, audire, &c. atque id ipsum dicendum est etiam de iudicio priuationis, quod Arist. in 2. de anima externis sensibus tribuit, Auerroes autem sensui communi. Hinc etiam Theophrast. contex. 149. 2. de anima, de sensu communi agendo hæc inquit, illa facultas est, qua nos visu videre, & auditu audire percipimus: eadem enim potentia percipi actiones sensuũ necesse est, qua differentias actionum percipimus. & hæc circa actiones communis sensus.

Nunc phantasiæ officia sequuntur, quæ duodecim numero esse affirmantur à phylosophis, sex nempe cum brutis communia, sex verò alia hominibus propria. Atque cum brutis commune primum officium est moueri à sensu communi, & obiecta illa iudicare, quæ per communem sensum ei offeruntur.

Secundum officium est operari circa absentia auxilio memoriæ ei iunctæ.

Tertium est subnotiones addere, obiecta vt sibi consentanea, vel aduersa iudicando.

Quartum est excitare appetitum, & vna cum eo animal mouere.

Quintum vnà cum instinctu naturæ est esse principium variorum, admirabiliumque operum, quæ à ratione carentibus eduntur,

vt in

vt in hyrundine formandi nidum, exempli gratia, in aranea ducendi retia & similium.

Sextum denique in somno operari, circa phantasmata versari, atque per eadem communem pariter sensum excitare, atque mouere, animal expergefaciendo: & hæc communia officia, vt dixi, hominibus cum iumentis atque feris sunt.

Alia verò sex officia phantasiæ hominis propria sunt, nempè imaginari ad libitum quodcumque volumus septima phantasiæ operatio est.

Octaua est componere ea quæ iudicat, non quidem exactè, sed confusè, atque similiter diuidere.

Nona est si non perfectè ratiocinari, saltem imaginem quandam ratiocinandi seruare circa singularia, vt ex Simplic. colligitur contex. 57. 3. de anima.

Decima est inseruire menti, eidem phantasmata offerendo.

Vndecima verò vice versa à mente formari, dirigi, & eiusdem mandata exequi, quod in viro prudente apparet.

Duodecima postremò est apprehendere officia singularum animæ partium, easque vnà cum appetitu vel ad actionem excitare,

aut

aut ab ea reuocare, vt Iamblicus asserebat.

Et hæc sunt phantasiæ officia, contra quæ primò dubitabit fortaßè aliquis, vtrũ phantasia ea quæ iudicat etiam componere atque diuidere valeat? & quidem Auic. Albertus Magnus, Auerroes, & alij, qui hos sequuntur, facultati cogitandi quam nos ad phantasiam reduximus componendi species cum speciebus officium tribuunt, intentiones cum intentionibus, atque easdem intentiones cum speciebus, vt experientia in pueris patet, qui ante vsum rationis, sicut & delirantes componunt, diuiduntque.

Ex aduerso autem Arist. 3. de anima contex. 22. inquit, mentem esse quod vnum facit atque componit. Atque Themist. in paraphrasi, componere solius mentis est inquit.

Pro resolutione præsentis dubitationis dicendum est, compositionem esse triplicem, vnam scilicet dum singularia componi dicuntur ex eis vniuersale eliciendo. Alteram rei cum tempore distinctè noto. Tertiam verò rei cum re. Compositio quidem primo modo dicta proculdubio phantasiæ minimè cõpetit, cùm sola mens vniuersale eliciat. Neque etiam competit phantasiæ compositio secundo modo dicta, scilicet compositio rei

cum

cum tempore distinctè noto; cum huiusce-
modi officium etiam mentis sit cum Arist. 3.
de anima contex. 21. Dico autem cum tem-
pore distinctè noto, quoniam confusè vt est
idem cum motu, & pro qualitatibus tempo-
rum ei iunctis, etiam sine ratione cognosci
potest. vnde aues futuram hyemem præui-
dent,& regiones eadem de causa mutant,nec
non alia pro futuris temporibus parant, &
solo naturæ instinctu, aut per internam na-
turæ commotionem; sicuti etiam lue gallica
laborantes per internam, aduersamque natu-
ræ commotionem mutationes temporum
noscunt, atque ob humorum permutationes
ab eis prodeuntes.

Tertia autem compositio quæ est rei cum
re, illa est quæ phantasiæ competit, nam hu-
iuscemodi compositio minus propriè com-
positio est, atque sola connexio variarum re-
rũ,& inter se subnotionum. Atque hæc com-
positio etiamsi cum tempore sit, cum tem-
pore est confusè noto, non autem distinctè
per qualitates cum eo iunctas, adeò vt com-
positio rei cum re potiùs iudicari debeat,
quam cum tempore.

DISPVTATIO XLII.

PHantasiæ officia paulò ante enumerantes diximus eam facultatem ratiocinari, aut saltem imaginem quandam ratiocinandi circa singularia seruare; quare vtrum phantasia verè ratiocinetur in præsenti quæstione expendendum est. Et prima quidem fronte videtur quod sic: nam Arist. in 3. de anima contex. 57. phantasia inquit, vel est cum ratione, vel sine. Igitur phantasia ratiocinatur interdum.

Præterea 2. ethicorum idem Arist. ait rationem extendi ad phantasiam & appetitum eius; & virtutes illas quæ ad mores pertinent in eiusdem phantasiæ appetitu ampliùs collocatas reperiri. Virtus autem sine ratione consistere non potest, ergò neque phantasia est absque ratione.

Tertiò phantasia honestatur nomine mentis interdum ex Arist. vt constat ex 2. atque 3. de anima, ratio autem in mente residet.

Secundo physicorum 80. dubitarunt, inquit Arist. nonnulli, vtrum mente, aut alio quodam operentur araneæ.

Et Porphirius in lib. de abstinentia & vsu

car-

carnium non solum araneas, verum etiam alia animalia bruta docet suas exercere operationes cum mente. Vnde canes inquit, exẽplò mouentur, atque argumento à sufficienti partium enumeratione vtuntur; argumentantur enim canes & per signa mouentur, & demum etiam bruta disciplinabilia sunt, quæ tamen operationes in rationem habentibus solum reperiuntur.

Denique Anaxagoras (referente Aristot. in 1. de anima contex. 24.) mentem cunctis animalibus competere existimauit: prudentia enim animalia quoque bruta pollent, atque futurorum prænotione vtuntur. Vnde aues statutis temporibus in salubriores regiones sese transferũt, apes fauum conficiunt, araneæ telas pro sibi alimento parando ducunt, formicæ grana condunt, & alia similia penè infinita bruta peragunt, quæ tamen sine ratione fieri posse non videntur. Quare cum ratiocinentur bruta, id officio phantasię agere dicẽda sunt, & sic vt in quæstione proponebatur, phãtasia, vtiq. est cõpos rationis.

Ex altera verò parte huic conclusioni maximè contraria propositio affirmãda esse videtur, quod nempè phantasia nequaquam ratione polleat.

Et primum de phantasia brutorũ loquens Arist. 3. de anima contex. 57. conceptis verbis hanc facultatem ratione carere docet.

Secundo etiam physicorum contex. 80. opera brutorum haud quaquam cum ratione celebrantur, verum ex naturæ instinctu.

Præterea omnis ratio vim habet ex aliquo vniuersali, vt patet ex lib. priorum. Sed sensus vniuersalium non est, at sola mens. quare phantasia nequaquam ratiocinari potest.

Quartò, cui competit ratio, etiam competit consultatio, electio, libertas, virtutes in more positæ, reminiscentia & huiusmodi. Sed hæc non competunt brutis & sola phantasia pollentibus animalibus: ergò illis neque etiam competit ratio, aut imaginatio cum ratione. Hæc & alia afferri possunt ad probandum quod phantasia non ratiocinetur, & verè phantasia vt phantasia est nullam habet ratiocinandi vim.

Non obstant autem quæ pro altera parte in contrarium allata fuere, nam primo ad primum argumentum responsum exhibendo, quando Aristot. 3. de anima contex. 57. phantasia inquit, vel est cum ratione, vel sine, dupliciter verba Arist. intelligi possunt: vel est enim cum ratione, vel sine ratione,

quia phantasia brutorum est sine ratione; phantasia autem hominum est cum ratione. Et prætereà, & fortasse melius respondetur, phantasia interdum sine ratione operatur, quia rationis consilio non vtitur, quemadmodum in ijs apparet, qui ductu solius sensus operantur, & sola iucunditate vel delectatione allecti. Interdum autem est cum ratione, hoc est rationis consilium sequitur, vt in ijs apparet qui operantur ex prudentia.

Secundo afferebatur tex. 1. ethyc. Arist. vbi ait, rationem ad phantasiam extendi & ad illius appetitum. Nimirum sensus est quod phantasia & appetitus cum sint potentiæ rationi famulantes, sæpè ratio ad illas extenditur, quia phantasiam & appetitum sæpè dirigit, non autem quia phantasia ratione polleat; cum phantasia nullam habeat ratiocinandi vim nisi per participationem à mente, & mentis connexione.

Phantasia, tertio loco dicebatur interdum nomine mentis ab Arist. honestatur.

Respondetur, quod phantasia non nisi ex Aristot. mens appellatur, quatenus videlicet opera quædam mentis interdum exercet, vt in brutis apparet, non tamen quia verè mens sit; ideoque mens brutorum eadem phanta-

sia interdum dicitur, in quantū scilicet phantasia locum mentis in brutis habet.

Postremò ex Anaxagora 1. de anima contex. 24. animalia bruta maxima cum ratione suis funguntur operationibus, vt etiam probant exempla allata. Respondetur breuiter in brutis aliqua peragi nō quia ratione agāt, sed naturæ instinctu vt dicitur. Id autem ex eo colligitur quia bruta sine præcurrente experientia eadem agunt: nam formica recens nata, quamuis hyemem non sit experta, grana tamen colligit, atque conseruat. Amplius quæ cum ratione fiunt variantur, & multis varijsque modis peraguntur; bruta autem semper similiter sua opera exercent. Et denique quæ per rationem aguntur, cum prænotione finis exercētur; bruta verò frequenter finem non cognoscunt.

Sed quid ad disciplinam dicet aliquis? disciplinam quippè recipiunt bruta, disciplina autem ratione non caret.

Respondetur etiam, disciplinam non rationalem, vel rationis auxilio adeptam comparari à brutis, verum habitualem potiùs sine experientia conquisitam. Nam aliàs nulla adest ratio in brutis, sed phantasiæ tantummodo operatio, & ipsorum opera quæ à non

nullis menti tribuuntur, solo instinctu naturæ peraguntur, vel Dei infinita prouidentia coadiuuante. Et hæc in secundum librum de anima in præsenti sufficiant.

FINIS.

Errata quæ potui obseruare, sic corrigo, si qua alia adsunt corrige tu benignissime Lector.

Pag. 1. lin. 2. Meteorol. 3. 9. lib. 1. de anima. 5. 11. actiuæ sunt. 19. 11. eundem percutiant. 26. 16. nunc aliquis. 42. 16. minoris caliditatis. 65. 5. vna solum putrefactio. 85. 25. vsi simus. 89. 13. fit humor aquosior. 91. 8. ὀπτήσεις. ibid. 13. μωλυνσις. ibid. 20. primarum qualitatum. 99. 25. quicunque halitus. 100. 7. error fit. ibid. 16. pauco amarore. 102. 7. à quantitate. ibid. 10. de quibusdam febribus. ibid. 14. pro potus ingesti. 104. 15. nec non formata. 105. 1. lib. 13. epistol. 107. 16. eadem natura. ibid. 20. arguebatur. 109. 18. nutritioni. 110. 1. συεφ. 116. 27. celebrata. 135. 3. euadunt cuncta. 166. 16. de morbis mulierum. 186. 18. succum rutæ. 191. 5. non videntur. 193. 4. materialiter. 197. 20. proficiscentes. 219. 18. Medicamentis. 246. 20. distinguntur. 281. 4. planta plantam. 282. 10. resolutiuo. 365. 2. glaucoma. ibid. 16. à coloribus. 367. 14. sin vero. 368. 11. pupilla quoque. ibid. 11. à medicis appellatum. 372. 3. vuea procidit. 379. 21. sero & nocte. 380. 12. lumen internum. 417. 19. spiritus reficit. 424. 11. ad sensum tactus. 433. 2. sed medium. 456. vlt. in parte superiori.

IN-

INDEX.

Audi.

Conco-

Gene-

Mixtum

Quali-

Tactus

T

V

FINIS.

ROMÆ,
Ex Typographia Ludouici Grignani.
M. DC. XXXXI.
SVPERIORVM LICENTIA.